



P. 6. 33

Sammelband!

Th. hist. R. v. 164. 775.

L V C A E O S I =
A N D R I, T H E O.
L O G I Æ D O.
C T O R I S,

Antisturmius
alter.

PROVERB. XXVI.
Responde stulto iuxta stultitiam suam: ne sibi sapiens
esse videatur.



T V B I N G Æ,
Excudebat Georgius Gruppenbachius.
M. D. LXXXI.

LVCAS OSIAN. DER D. PIO LECTO.

R. I. 8.

Matth. 12.
Matth. 23.

Iohan. 8.
Actor. 13.
Actor. 20.
Philip. 3.
Galat. 5.

SI te, Candide Lector, fortasse mea in refutando Sturmio libertas & vehementia, offendit: etiam atque etiam rogatum te volo, ut quamprimum Sturmij Antipappos (praesertim posteriores) legas: aut, ut saltem iudiciū tuum tam diu suspendas, donec hoc responsum meum totum euolueris: tum haud dubiè iudicabis, me in confutandis tam impudentibus mendacijs, virulentis calumnijs, & horrendis blasphemijs, minùs fuisse vehementem, quàm rei magnitudo postulat. Itaq; eius hominis etatis, eruditionis, & authoritatis ratio haberi non potuit: qui in Iesu Christi Seruatoris nostri doctrinam synceram adeò fuit contumeliosus. Et si mea in respondendo acerbitas homine Theologo indigna tibi videbitur: cogites velim, quibus verbis Christus (qui fuit exemplum mansuetudinis) Phariseos & scribas, falsos doctores, acceperit. Is autem Phariseos (profectò Sturmio non deteriores) vocat, Serpentes: progeniem viperarum: generationem prauam & adulteram: filios Gehennæ: filios Diaboli. Ioannes Baptista, vir sanctissimus, iisdem epithetis Phariseos & scribas ornat. Paulus Magum illum, qui Proconsulem Paulum Sergium à fide Christi auertere studebat, appellat filium Diaboli: falsos doctores vocat lupos graues: & canes: apostolos Diaboli: & imprecatur illis, ut abscindantur. Nota est etiam Prophetarum Παρηγορία & vehementia, qua in reprehendis Pseudo prophetis vsi sunt. Et si autem ego tam sublimi Prophetico & Apostolico Spiritu pradius non sum: tamen cum & Christi, & Apostolorum, & totius Ecclesiae causam contra Sturmium (hominem horribiliter blasphemum) agam, fraudi mihi esse non debet, si eum asperius tracta- uero. Certè adeò nihil ex priuato odio aut affectu in hac causa scribo: ut, si hodie Sturmius verè resipisceret, paratus essem, eum multo honore (propter bonas literas) & officijs (quæ quidem à me proficisci possent) prosequi. Vale. Lege, & deinde iudica.



QUAM VERE ET SCITE NOBIS SIMON ille piissimus, Spiritu Dei plenus, Christi Seruatoris, nostri fortunam, & regni ipsius statum, in hoc mundo, atque filiorum huius seculi animos depinxit, cum de Christo ait: Ecce positus est hic in ruina, Luc. 24
 & in resurrectionem multorum in Israel, & in SIGNVM,
QVI CONTRADICITVR: & tuam ipsius animam pertransibit gladius: VT REVELLENTVR EX MULTIS CORDIBVS COGITATIONES. Cum enim Christus syncerè docetur: mox Satan excitat multa praua ingenia, quæ doctrinæ Christi contradicunt: ea, licet inter se dissimilia sint, variasq; & diuersas opiniones monstrosas alant, tamen vnum finem propositum habent, vt in Christum, tanquam ad signum aut scopum præfixum, omnia sua iacula sophismatum, calumniarum, conuiciorum, blasphemiarum, conijciant. Ea re sanè Christi Ecclesia (cuius sanctissima virgo Maria præcipuum aliquod membrum, & quasi typus erat) vehementer perturbatur: non secus ac si gladius anceps per ipsius viscera adigeretur. Interim verò reuelantur cogitationes ex multis cordibus: vt manifestum fiat, qui nam sint discipuli Christi, qui ipsius verbo fidem habent: contra verò qui sint eiusdem hostes, qui sub vexillo nominis Christiani contra Christum Redemptorem suum nefariè militant.

Idem planè in te etiam, Sturni, est videre: vt ouum ouo non magis sit simile, quàm illa tempora nostris sunt similia temporibus. Dum enim vnâ cum Iesuitis, Arianis, & Cinglianis tela scelerata in personam Iesu Christi, Filij Dei & hominis, conijcis: eumq; in throno Maiestatis, tuis horrendis blasphemijs, tanquam venenatis iaculis, petis: boni quidem atque piij viri immanem illam tuam, & plus quàm Cyclopicam audaciam abominantur, & cum gemitibus execrantur: tu verò te ipsum interim totum aperuisti: vt omnibus iam tuæ

cogitationes cordis sint reuelatae: quae sane in lucem à te ipso productae, testantur, te esse *C R A S S V M C I N G L I A N V M*, Cinglianæ hæreseos non modo asseclam, verum etiam, si Dñs placet, patronum atque defensorem. Nam & in Cinglianorum castris esse te, fateris ipse: & Cinglianum dogma profiteris passim, in toto tuo nouo scripto: & Oecolampadij dialogum (Nathanaëlem inscriptum) à nemine hæctenus, atque ne ab ipso quidem Philippo refutari potuisse, aliquoties insculcas: & in omnes Theologos synceros, qui à Cinglianismo abhorrent, non secus, ac rabiosus canis, impetum facis, vt eos tuis virulentis conuicijs & calumnijs (si possis) discerpas: at quos viros? eos, inquam, qui sancta Christi mysteria pure & pie tractant, & ad plebem de ijs verba facere solent. Sed & primum illum tuum infelicem partum Antipapporum, Geneuæ (vbi regnum Cingliani in Ecclesia & Schola possident) typis excusum narras: & posteriorem illam tuam molam ex Neapoli (in quam pertinacissimi quique Cingliani confluxerunt) prodijisse, prima libri facies testatur. Quare magna me hoc nomine molestia liberaisti, quòd iam mihi non amplius necessitas incumbit, vt te Cinglianum esse, conuincam: cum iam ex Cinglianorum castris aduersus nos manifeste, sed infeliciter, pugnes. Itaque te porrò nomine vesperilionis liberabo: quod propterea non abs re tibi imposueram, quia aliquoties te *N O S T R V M* esse aiebas, & interim tamen Cinglianorum partes tuebare: ita quidem, vt nunc inter animantia quadrupedia, nunc inter volucres censeris velles. Quare posthac tecum, Sturm, vt cum aperto Ecclesiae Dei hoste, acturus sum.

Quia verò questus es Sturm, quòd ætatis tuæ ratione non habita, inclementius te, quàm (tuo iudicio) oportebat, acciperim, tuumque senilem & septuagenariam vocem delirium esse dixerim: priusquam denuo in arenam tecum descendam,
paucis

ANTISTURMIVS ALTER.

5

paucis mihi erit reddenda ratio, cur tuos canos nec sim in primo meo Antisturmio veneratus, neque posthac eos in honore habere possim. Non enim animo meo excidit præceptum Domini: Coram cano capite consurge, & honora Leuit. 19. personam senis: & time Dominum Deum tuum. Et qui me familiariter nôrunt, testabuntur, quòd homines ætate prouectos in precio habeam: etiamsi tenuissimæ sint conditionis. Sed causa est, cur ego te in eorum senum numero, quos Scriptura honorare iubet, habere non possim. De senibus enim, qualis tu, Sturmi, vnus es, (qui ex Ecclesia Dei exterminabuntur,) Propheta Isaias in hunc modum loquitur: Non erit ibi amplius Isai. 65. INFANS dierum, & SENEX, qui non impleat dies suos: quoniam PVER CENTVM ANNO RVM morietur: & PECCATOR centum annorum M A L E D I C T V S ERIT. Attende, Sturmi, de te enim, tuiq; similibus Propheta hoc loco agit. Vocat autem homines prophanos & impios, qui Deum non rectè agnoscunt, neque eum piè colunt, non modo PVEROS, verùm etiam I N F A N T E S: etiamsi CENTESIMVM ætatis A N N V M attigerint. Te autem esse hominem prophanum & impium, scripta tua in Iesum Christum blasphema loquuntur: & contemptus sancti Euangelici Ministerij id ipsum testatur. Quare mihi fraudi non erit, si tecum agam, non vt cum septuagenario, & venerabili sene: sed vti erga hominem, qui in Deum & homines innocentes procaciter contumeliosus est, fieri decet. Etenim qui in malitia ipso Iapeto es antiquior: in rebus diuinis rectè dijudicandis, puero bimulo & quidem infante es ineptior: atque vtinam tantum ineptus, non etiam blasphemus esses. Qua de causa certè tibi puero septuaginta annorum Isaias Propheta, mortem, neque eam simplicem illam, quæ omnes mortales manet, sed æternam, hoc est, M A L E D I C T I O N E M minatur. Quia verò etiam

stos



L V C A E O S I A N D R I

stomacharis, quod te hactenus Quadragenarium Rectorem
& Dictatorem appellavi: age, desinam: tuumque Rectoratum
& Dictaturam ad tempus seponam, & cum solo Sturmio, Ec-
clesiae Christi perturbatore, & infelici OPPUGNATORE
agam. Non autem à me orationem expectabis cincinnatam,
& fuco rhetorico, vel sophistico potius pictam, qualis tua est,
Sturmi: sed simplicem, veritati innitentem, & candidam:
quam tu refutare non possis, etiamsi tibi illa rumpantur. Ut
enim veritatis simplex est oratio: sic oratio veritate subnixā,
inviicta est. Et ut nemo est intelligens & bonus vir, qui non
honestam matronam in habitu modesto praeferat meretrici,
quae meretricio cultu amatoribus placere studet: & ut nemo
(qui quidem sapiat) malit toxicum è poculo aureo bibere,
quàm vinum purum & salubre è vase testaceo: sic minimè
dubito, candidos & intelligentes homines pluris facturos
simplicem meam veritatis defensionem, quàm lenocinium
figurarum tuarum rhetoricarum: & potius amplexuros do-
ctrinae sinceritatem, perspicuo & simplici sermonis gene-
re propositam, quàm ex Circaeis tuis poculis venena prae-
sentissima hausturos. Sed tempus est, ut ad rem ipsam pro-
pius accedamus.

Est in tuo, Sturmī, Antipappo Quarto tanta rerum &
verborum confusio: ut maiorem linguarum confusionem
non extitisse crediderim, cum impia pijsimi Patriarchae
Noë posteritas, stulto fastu impulsa, turrim Babylonicam
extruere moliretur. Nihil enim iam dicam de nugis & in-
tempestivis narrationibus tuis: quibus multa folia inepte
illinire tibi placuit: quae ad rem prorsus nihil faciunt: quis,
obsecro, ordo est? quae dispositio in illo tuo Quarto Anti-
pappo? in quo omnia confundis, & eadem diversis locis
toties repetis, ut iam & iudicio & memoria destitutus plane
videare, Ego tamen scopas tuas dissolutas utcunque colligam:
& quae

& quæ tu nullo ordine effutiisti, in ordinem aliquem redigere conabor.

Hæc autem Sturmii, in præclaro, scilicet, isto scripto tuo tractanda suscepisti. Doctrinam piam de Persona & Maiestate Christi, & de sacrosancta ab ipso instituta Cœna, diabolicis calumnijs depravas: scurrilibus conuicijs impetis, & blasphemijs intolerandis conspurcas. Ineris passim multa mendacia, eaque crassissima: quibus & Cinglianismum tuum pingere, & Augustanæ primæ Confessionis auctoritatem eleuare conaris. Librum Concordiæ atrocissimis criminationibus exagitas: & Theologos, quos vel authores, vel in ea re adiutores fuisse putas, eos etiam, qui id institutum probarunt, omni contumeliarum genere obruis: Electores verò, Príncipes & Ordines Imperij, quorum consilio, & voluntate, liber iste conscriptus est & publicatus, & qui Cinglianos doctores aliò migrare iubent, stuporis, stultitiæ, & crudelitatis accusas. Fingis in primi libri tui facie, te de exterarum Ecclesiarum salute sollicitum esse: & petere legitimam Synodum, in qua controuersia de Cœna Domini ritè cognoscatur & diiudicetur. Denique meam etiam personam in contemptum & odium adducere conaris. Plerasque autem pagellas calumnijs, criminationibus, apertis & manifestis mendacijs farcis, atque horribilibus blasphemijs contaminas. Interim verò ad præcipua capita & argumenta mei Antisturmij nihil respondes. Habes libri tui breuem epitomen.

Ego itaque diuina gratia adiutus, piam doctrinam nostram à tuis calumnijs vindicabo, & fucum, quem tuo Cinglianismo illinis, detergam. Deinde, quomodo Liber Concordiæ conscriptus, à multis Theologis iudicatus, quibusdam etiam locis expolitus, tandemq; subscriptus sit, & quod eius sit argumentum, breuiter & bona fide recitabo. Ostendam.

dam etiam, an Ecclesijs exteris tuo scripto patrocineris: an vero earum causam, quantum in te est, deteriore reddas. Docebo praeterea è tuo Quarto Antipappo, qualem tu Synodum postules: & an æquū sit, vt tibi ea in re Proceres Romani Imperij morem gerant. Postremo, quas mihi maculas aspergere conatus es, abstergam: & te, (quod in primo meo Antisturmio facere coepi) coloribus tuis depingere pergam, vt Germania intelligat, quale MONSTRVM in sinu foueat.

DEFENSIO SYN-

CERÆ DOCTRINÆ DE PERSONA Christi, & Cœna Domini.

CVM incomparabilis vir, D. Lutherus, Cinglio, eiusq; socijs sese in negotio Cœnae Dominicae merito opponeret: illi verò errorem pertinaciter (quod solent omnes hæretici) propugnarent: animaduersum est in Cinglianorum defensionibus, quòd non modo de mysterio Cœnae Dominicae, verum etiam de persona Christi non rectè sentirent. Vt enim præsentiam corporis & sanguinis Christi, è sacra Cœna eliminarent, adferebant: non posse verum humanum corpus, simul esse in pluribus locis: itaque corpus Christi sublatum in cœlos, non esse quærendum in terris. Humanitatem Christi in cœlo locabant, diuinitatem eius solam (sine humanitate) in terris retinebant: dexteram Dei, ad quam Christus confedit, fingebant esse locum in cœlo: vbi Christi humanitas ita maneret ad nouissimum vsque diem, vt interim nusquam esset in terris præsens: quos errores hodie etiam defendunt Cingliani.

Lutherus igitur, cum intelligeret, quòd Cingliani Iesum Christum in ordinem cogerent: neque cogitarent, quantum

tum

ANTISTVRMIVS ALTER.

tum homo Iesus Christus, propter vnionem personalem, à cæteris hominibus distaret: & quòd cum Nestorio personam Christi diuiderent: atque Articulum Symboli de Ascensione Christi ad cœlos, & sessione ipsius ad dexteram Dei non rectè acciperent: cœpit diligenter, & solide, & neruose, de his mysterijs differere: vt erroribus istis sublatis & euersis, Cinglianos facilius in viam reduceret. Demonstrauit enim ex sacris literis, quòd (propter vnionem personalem) Christus non tantum sua diuinitate, verum etiam humanitate in toto terrarum orbe sit præsens: itaque eundem posse corpus & sanguinem suum in cœna sacra manducandum & bibendum exhibere. Ostendit sacra scripturæ testimonijs, Dexteram Dei, non esse locum vnum certum, sed omnipotentem Dei virtutem, quæ nullo loco vel includatur, vel ab vlllo loco excludatur: itaque eam ipsam ob causam Christum posse corpus & sanguinem suum in cœna Domini distribuere: quia Christi humanitas ad dexteram Dei euersta, vbique præsens regnet cum diuinitate: cum qua humanitas vna est persona. Hæc docuit in polemicis & didacticis suis scriptis Lutherus: quod tu, Sturmi, non ignoras. Neque erat tum quisquam (exceptis Cinglianis) qui contradiceret. Idem docebat Philippus in epistola, scripta ad Oecolampadium, anno &c. 29. Eandem doctrinam publicis scriptis proposuerunt viuo & mortuo Luthero complures alij synceri Theologi: inter quos vel primo loco mihi ponendus videtur Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus Georgius, Princeps Anhaltinus: cuius lucubrationes hodie extant, & in multorum sunt manibus. Eadem doctrina hodie legitur in scriptis Pomerani, Brentij, Iusti Menij, Andreae Althameri, Coruini, Urbani Regij, Ioannis Spangenbergij, Casparis Huberini, D. Æpini & aliorum: qui cum sacrae cœnæ mentionem faciunt, simul docent.

B

Chris

Christum Ecclesiae suae non tantum diuinitate, verum etiam humanitate, ubique adesse. Nemo erat tunc (exceptis Cinglianis apertis) qui hanc piam doctrinam erroris damnaret. Et tu Sturmi, tunc ne mussitare quidem audebas. Erat ea communis & approbata doctrina in ijs Ecclesijs, quae à Cinglianismo prorsus purae erant. Neque Philippus, neque quisquam alius, qui non apertus hostis Lutheri esset, viuo Luthero Ubiquitatem (quam vocatis) corporis Christi vel negabat, vel traducebat. Ac ne Pontificij quidem vilo verbo eam de Maestate Christi hominis doctrinam reprehendebant: tametsi in omnes calumniandi occasiones essent intenti.

At postquam ex nostris aliqui, quasi induciarum tempore, cum hostibus Cinglianis clam colloquia per literas habere coeperunt: atque ijs occultis collusionibus tantum esset effectum, vt iam ipsis Cinglianismus magis ac magis arrideret: interim verò cum Cinglianis disceptatio renouaretur: desierunt illi piam doctrinam Lutheri de Maestate & persona Christi, tueri: quin etiam, hac quidem in parte, ad hostes transierunt: & eos, quibus cum spiritualia sua arma coniungere debebant, oppugnarunt, atque multarum horribilium haereseseon reos facere conati sunt. Tum verò caeteri Cinglianistae de nouo erigere, & in Ubiquitatem declamare, & eam exhibere, conuicijs, cachinnis & calumnijs exagitare: cum, videlicet, viderent, nostros falsos fratres perfide à latere nos adoriri, & illos ipsos aciem atque ordines studiosè turbare, quorum armis protectos nos esse oportebat. Ab eotempore in Brentium (virum de Ecclesia Christi optimè meritum) quidam debacchati sunt, quasi nouum dogma Ecclesiae obtrusisset: qui tamen in omnibus partibus doctrinae suae nihil prorsus vnquam immutauit: quod sanè scriptis ipsius luculenter demonstrari potest: quem Theologum ob exis

ANTISTURMIUS ALTER.

11

ob eximiam sacrarum literarum cognitionem, & excellens
 tia Spiritus sancti dona, D. Lutherus semper maximi fecit.
 Hi, inquam, Theologi, quorum paulo ante mentionem fe-
 ci, vno ore doctrinam de maiestate hominis Christi, pro-
 fitebantur. Quod si negare ausus fueris, Sturmi, tum per-
 spicua Theologorum illorum testimonia, quæ publicè in
 ipsorum lucubrationibus extant, in os tuum impudens tibi
 ingeram. Cur non tu, Sturmi, tum prodibas, veterator, & clas-
 mabas: ô coelum, ô terra, ô maria Neptuni: tantas ne hereses in
 Ecclesias Dei inuehi: siccine naturã in Christo humanam abo-
 leri? siccine corpus Christi in cantharos cereuisiarios inclu-
 di? Tum enim cum ego *Osiander*, adhuc in cunis cunirem: (tua
 verba recito) tum, cum ego adhuc inter pueros lusitarem, has discor-
 dias notasti, improbasti, publicis scriptis doluisti. Cur, obsecro, tum
 non monebas Lutherum, ne totam religionem Christianam
 Ubiquitatis dogmate pessundaret atque euerteret? cur non
 monebas Brentium? cur non alios præcipuos eius tempo-
 ris Theologos? Cur non id faciebat Bucerus, Capito & alij?
 imò cur non Calvinus? Sed tum Lutherus te per literas salu-
 tabat, vt iactitas: quia bonum virum te esse credebat. Nunc
 tu mortuo Luthero salutem rescribis, in hanc sententiam:
 Ave Rabbi: quam enim in ipso viuo doctrinam improbare
 ausus non fuisti, eam iam sexcentis conuicijs laceras, & cal-
 umnijs satanicis corrumpis.

Quod enim de præsentia Christi toties nobis oggan-
 nis, quòd, videlicet, Christus iuxta nostram sententiam sit
 in ligno, lapidibus, herbis, folijs, cantharis, &c. Verba sunt
 ex Lutheri scriptis, sed male intellectis, & per calumniam
 deprauatis, desumpta: itaque non D. Iacobum Andreæ, non
 Brentium, non Virtembergicos, aliosque synceros Theo-
 logos, sed Lutherum improba tua lingua flagellas, & stylo
 B s qui

qui veneno tinctus est, pungis. Sic enim scripsit Lutherus in Sermone de Sacramento coenae Dominicae contra fanaticos: Etsi autem Christus ita est in omnibus creaturis, ut possem eum in igne, in aqua, denique in laqueo inuenire (non enim dubium est, quin IBI SIT) tamen NON VULT, ut ego ipsum IBI ABSQVE SVO VERBO QVAERAM, & me vel in ignem, vel in aquam conijciam, vel me laqueo suspendam. Ubique quidem est, non vult autem, ut ubique eum palpando quæras: SED VBICVNQVE EST VERBUM EIVS, ibi suscipiaseum palpandum, & tunc quidem recte eum apprehendes: alioqui tentabis Deum, & institues Idolomaniam. Proposuit igitur nobis certum modum, videlicet verbum suum, quò & vbi debeamus eum quærere & inuenire. His verbis Lutherus Christum neque lignis, neque lapidibus, alijs'ue creaturis inclusit: neque eum in iisdem rebus quærere iussit: sed Maiestatem filij hominis descripsit, qua ille (propter personalem vnionem) omnibus creaturis præsens est: omnia videt, omnia gubernat, atque ad nominis sui gloriam & Ecclesiae salutem dirigit. Quid habes igitur Sturmi, quod hinc reprehendas, aut naso suspendas adunco?

Quod de cantharis cereuisiarijs toties odiosè mentionem facis, in quibus (si tuis calumnijs habenda sit fides) nos Christum inesse dicamus: sic tibi calumniatori respondeo. Recitauit Lutherus impiam, hominum prophanorum & verbi Dei irrisorum obiectionem, non autem suam sententiam. Quare tu, Sturmi, calumniator es, qui nobis & Luthero tribuis, quod tuum est, tuique similium hominum impiorum: qui de rebus diuinis proteruè, & impie & scelerate loqui solent. Recitabo tibi Lutheri verba: ut videas, tu ne sis calumniator improbus, an verò Lutherus sit in hac re culpandus. Ad hunc autem modum Lutherus scripsit:
Post

Post hæc dicta fortassis inuadent me ALII FANATICI, Tom. 2. Ger. qui me in verbis capere conabuntur, & DICENT: (attende VVit. de, nequam Sturm, FANATICI DICENT) Quid? si corpus Christi est in omnibus locis, agedum, deuorabo, & helluabor ipsum in omnibus hospitij, ex omnibus scutellis, poculis, & CANTHARIS? (audi Sturm, tuos fanaticos & prophanos homines loquentes:) si enim nullum est delictum crimen inter meam & Christi mensam, immanè, quàm egregiè ipsum deuorabimus? Nos enim futiles Germani sumus magna ex parte tam detestabiles porci, vt nec modestiæ, neque honestatis rationem habeamus. Et si quid auerimus de Deo, non aliter ferè reputamus, quàm si essent ioculatorum fabulæ. His temporibus vsitata sunt aduersus Sacramentum cœnæ Dominicæ, in vulgo, qui doctrina fanaticorum sunt seducti, tam abominanda dicta & facta (attende Sturm calumniator: tibi hæc dicta sunt:) vt tolerabilius esset mortem suscipere, quàm concionem ipsis diuulgandam scribere. Postquam enim audiunt à fanaticis, corpus Christi non esse in Sacramento, statim insurgunt: ad quid, inquiunt, vtile est Sacramentum? ne pro titiuilitio quidem reputarem. Atqui officium politici Magistratus esset, tales blasphemos coercere. Ingens profectò est PESTIVLANTIA & TEMERITAS (ausculta, Sturm) quòd cum PRORSVS HANC REM NON INTELLIGAS, TAM PRÆFRACTE TAMEN BLASPHEMES. Et quia video, hæc vulganda inter CANES & PORCOS, Deus nouit, quanto animi dolore de tam magnis & cœlestibus rebus scribam. Sed quid faciam? fanatici, qui me huc pertrahunt, necesse habebunt de hac re rationem reddere.

Audi ergo, tu porce, CANIS (attende Sturm, etiam te appellat Lutherus) fanatice, aut quisquis fueris, insulse

» NE: etiam si corpus Christi sit in omnibus locis, non tamen tu
 » statim ipsum vel deuorabis, vel helluaberis, vel attinges. Nec
 » ego tecum de his rebus colloquor: sed ablego te in haram tuam
 » porcorum, aut in tuum sterquilinum.

» Suprà dixi, quòd dextera Dei sit quidem in omnibus lo-
 » cis, interea autem sit etiam nusquam, & sit INCOMPRES-
 » HENSIBILIS, supra & extra omnes creaturas. Discrimen est
 » inter suam praesentiam, & tuam attingentiam. Deus liber est,
 » & non captiuus, vbicunque fuerit. Nec potest ita vinciri aut
 » catenis ligari, quemadmodum malefactor quispiam è publicis
 » vinculis ostentatur. Considera mihi radios solis. Hi sunt
 » tibi tam propinqui, vt perstringant tibi oculos, & cutem tuam
 » quasi pungant, & tamen non potes eos manibus apprehen-
 » dere, ac in cistulam includere, etiam si multum ac diu palpas-
 » ueris. Impedire quidem potes, ne per fenestram splendeant,
 » palpare autem aut apprehendere non potes. Idem de Chris-
 » to sentiendum est: quòd, etiam si sit vbique praesens: tamen
 » non sinit se pro tua libidine tangi & apprehendi. Nouit enim
 » se ita explicare, vt tu tantum putamen retineas, nucleum au-
 » tem non apprehendas. Quid ita? Quia aliud est DEVM
 » ESSE PRAESENTEM: aliud, DEVM TIBI ESSE
 » PRAESENTEM. Tunc autem TIBI praesens est, cum
 » addit verbum suum, & eo sese alligat, ac dicit: Hic me in-
 » uenies. Cum igitur habueris verbum eius, tunc potes eum
 » verè apprehendere & tenere, ac dicere: Hic teneo te, sicut tu
 » ipse affirmas. Haecenus Lutherus.

Quid hinc habes, Sturm, quod iure reprehendas? num
 Lutherus iubet corpus Christi in cantharis cereuisiaris, Saxo-
 nicis & Torgensibus (vt tu calumniaris) quaerere? Qui nam
 sunt illi canes & porci, qui ex omnipraesentia hominis Chris-
 sti colligunt, eum in cantharis cereuisiaris inueniri? Tu, Sturm,
 es talis porcus, qui margaritas Theologicas pedibus con-
 culcas;

culcas: tu es talis canis, qui dentibus tuis virulentis sacrosancta Dei mysteria laceras. Sic enim inquis: *Cur non* (corpus Pag. 257 Christi fuit etiam) *in Cana Galilææ: in sex hydrijs, primum, cum aqua plenæ essent: deinde, cum aqua in vinum conuersa esset? Quæro ex istis* (vide Scurram & Lucianum) *ubi septima fuerit? cur septimam Christus apportari & impleri non iusserit? IN EA VIDERENT, AN CORPVS CHRISTI ETIAM IN CANTHARIS TORGENSIBVS INSIT NEC NE.* Hasce calumnias, Sturmi, aliquoties Pag. 155. 203. in tuo quarto Antipappo repetis: perinde ac si non satis esset, semel mentiri: aut quasi mendacium repetitum (metamorphosi quadam) in veritatem transformetur.

Quia verò tibi, Sturmi, adeò absurdum videtur, corpus Christi, vel, Christum etiam humanitate sua in omnibus locis esse (cœlesti tamen modo) reuera præsentem: ita vt affirmare ausis: *Vbiquitatem esse prauum & perniciosum dogma: sententiam esse plurimarum hæreseôn: & nos multis nominibus hæreticos esse, qui illam defendimus:* (sic enim tu, Sturmi, putas, doctos viros de doctrina & de nobis iudicaturos:) audiamus, obsecro, de hac re Paulum Apostolum: an ille nos miseros peccatores Vbiquitarios ab hæresi absoluerè possit: an verò se nobiscum, à te & viris tuis doctis, hæreseos damnari cogatur. Etsi enim ille in tertio cœlo & in Paradiso fuit, atque ab inuente ætate in lege Dei ad pedes Gamalielis institutus, sed & in lectione ethnicorum scriptorum (Arati, Menandri & Epimenidis) nonnihil versatus est: tamen, quia non per omnes classes tuæ scholæ ad perfectam & absolutam artium scientiam progressus est, atque adeò neque Demosthenicam, neque Ciceronianam eloquentiam est consecutus, fortasse tibi indoctior videbitur, quàm qui **DOCTORVM VIRORVM**, quos tu suspicis, congressum (præsertim in Oecumenico Consilio) sustinere queat. Sed tamen audiamus Paulum, sic de
negocio

Ephes. 4. negocio illo differentem. Quod autem ascendit (Christus) quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terrae: Qui descendit, ipse est, qui & ascendit supra omnes caelos, UT IMPLERET OMNIA. Hæc Pauli verba de humanitate Christi accipienda esse, totus orationis contextus testatur: itaque Christus, humanitate etiam sua omnia implet: modo tamen rationi humanæ incomprehensibili. Neque tu elaboris cauillo illo ineptissimo, quasi Paulus de impletione vaticiniorum loquatur. Non enim Paulus ait: ut impleretur, quod scriptum erat: aut, ut impleretur scriptura: sed simpliciter ait: UT IMPLERET OMNIA. Et ne existimes, Sturmii, incogitanti Paulo hæc excidisse: supra capite primo in eandem planè sententiam de Christo loquitur. Et omnia (inquit) subiecit sub pedibus eius (Christi:) & IPSVM dedit caput super omnia, ipsi Ecclesiæ: quæ est corpus IPSIVS, plenitudo EIVS, QUI OMNIA in omnibus ADIMPLET: (Sic enim vocabulum τὸ πληρομείου ipse etiam Calvinus translulit.) Quid hîc respondebis, Sturmii? Num & Paulus Apostolus tibi erit hæreticus, qui Christum omnia implere dicit: quod nihil aliud est, quàm ubiq; præsentem esse? Hanc enim sententiam ex phrasi scripturæ hausimus, quæ de Deo affirmat, quod omnia impleat: In Prophetia enim Ieremiæ Jerem. 23. scriptum est: Nunquid non cælum & terram impleo? dicit Dominus. Quare, Sturmii, aut ipsum Apostolum Paulum nobiscum hæreseos damnabis: aut, si in illum hæresis non cecidit: ille te blasphemix & Maiestatis Christi læsæ damnabit.

Videamus etiam, an fortasse inter Patres fuerint aliqui hæretici Ubiquitarij. Non enim mihi gladium, Sturmii, è manibus excussisti, quod fingis: *me Theophylacti & Cyrilli auctoritates versute & imperite citare*: ostende dolum, si potes: si non potes, cede veritati. Neque id moror, quod tanquam postrema inter Græcos scriptores (tuo scilicet iudicio) auctoritatis

Theos

Theophylactum contemnis. Neque etiam quæstio est, quàm multa Patrum dicta adferri possint: vel, quo seculo illi Patres vixerint: sed, an etiam Patres in nostra fuerint sententia: &, an illorum sententia cum sacra Scriptura congruat.

CYRILLVS lib. 12. in Ioan. cap. 32. sic scribit: In quatuor partes vestimenta Christi diuisa sunt, & tunica sola indiuisa mansit, quod mysticæ cuiusdam rei signum esse dixerim. Nam quatuor orbis partes ad salutem reductæ, indumentum verbi, id est, CARNEM EIVS, IMPARTIBILITER INTER SE PARTITAE SVNT. In singulis enim partibiliter transiens vnigenitus, & animam & corpus eorum, per carnem suam sanctificans, IMPARTIBILITER atq; INTEGRÈ in omnibus est, cum vnus VBIQVE sit, nullo modo diuisus. Hactenus Cyrillus. O te miserum Patrem Cyrillum: quiste ab hæresi vbiq;itaria absoluet? præsertim assessore, vel etiam iudice, Sturmio?

THEOPHYLACTVS in eadem hæresi vbiq;itaria fuit: neque refert, an hæc ab alio descripserit: sed quæritur, an ipse etiam Vbiq;itista fuerit. Sic autem is in 19. cap. Ioannis commentatus est. Igitur sanctum Christi corpus INDIVISIBILE est, & diuiditur & communicatur in quatuor partes orbis: distributus enim singulis, & vnus cuiusque animam sanctificans, cum CORPORE, per CARNEM SVAM vnigenitus & INTEGR & indiuisus IN OMNIBVS EST, existens VBIQVE: nunquam enim diuisus est, sicut & Paulus clamat. Hactenus Theophylactus.

Age, Sturmie, ne dicas, me nullam præterea Patrum auctoritatem adducere posse, audiamus etiam, quid CHRYSOSTOMVS de vbiq;itaria hæresi senserit. Is verò homilia 17. ad Hebræos sic scripsit: Num quia in multis locis offertur hoc sacrificium, multi Christi sunt? Nequaquam: sed

C VNVS

„VNVS VBIQVE EST CHRISTVS: & hīc PLENVS exis-
 „stens, & ILLIC plenus, & vnum corpus. Sicut enim qui
 „VBIQVE offertur, VNVM corpus est, & non multa: ita
 „etiam & vnum sacrificium, quod exemplar & recordatio
 „est, eius sacrificij, quod in cruce oblatum est. Hactenus ver-
 ba Chrysofomi.

Quis det hisce Patribus patronum, qui miseros illos Vbi-
 quitistas aduersus Sturmium, eloquentissimum & exercita-
 tissimum Rhetorem, defendat: ne ob hæresin D. Brentij &
 Doctoris Iacobi vbiquitariam, Marcionismi & Eutychnis-
 mi damnentur?

Meministi, Sturmi, quod in primis illis tuis narrationis
 Pag. 8. bus Antipappi quarti *Iacobum Fabrum Stapulensem & Gerardum
 Rufum clam è Gallia Argentinam profectos affirmas, vt Capito-
 nem & Bucerum audirent: & de omnibus doctrine præcipuis locis,
 cum his differerent: missi à Margareta Francisci Regis sorore, Na-
 varra Regina, auia huius Heinrichi Regis: cui mater Ioanna, hanc
 quam nunc tuetur, hereditariam doctrinam atque religionem tradi-
 dit. Quocirca (inquis) id quod in Gallia in religione boni est, id
 propè ex hoc fonte deriuatum est.*

Nosti autem, opinor, Sturmi, in quanta fuerit Stapulens-
 is apud Franciscum Gallia Regem autoritate, propter vir-
 tutem & eruditionem non modò in Philosophia, verum etis-
 am in Theologia eximiam: ita quidem, vt Rex in Hispania
 captiuus per literas huius Fabri Stapulensis curam susciperet,
 ne opprimeretur: vt refert Sleidanus libro quinto circa Com-
 mentarij sui finem.

Videamus ergo, an etiam IACOBVS FABER
 STAPVLENSIS in hæresi vbiquitaria fuerit: huius enim
 ingenium & zelum te admirari, ex verbis tuis, quæ iam
 recitavi, colligo. Is verò in Epistolam 1. Corinth. cap. 12. sic
 scripsit, Imò neque Europa, neque Asia, neque Aphrica ca-
 paz

pax est plenitudinis corporis Christi: Corpus inquam, Chris-
 sti, cui corpora nostra spiritali modo vniuntur, & vt sic di-
 cam, concorporantur: QVOD COELVM IMPLET ET
 TERRAM. EST enim, VBICVNQVE VERBUM EST:
 nam verbum caro factum est: Quare VERBUM NVNQVAM
 EST SINE CARNE: neque caro illa sine verbo. Videte ne
 corporalis IMAGINATIO nos hinc lædat, loca multiplicans,
 spacia distendens, &c.

IDEM STAPULENSIS IN IOAN.

nem cap. 14. fol. 218. sic scripsit,

Quod si ratio quærat a fide, quæ nimirum magistra est,
 cum de diuinis agitur, cum Filius sit in Patre & in omnibus
 sanctis, qui sunt in cœlo & in terra: An etiam CORPORAL-
 LITER sit? QUID NI? sed ABSQVE MODO: nisi dicas,
 diuino & incomprehensibili modo: qui non tam modus,
 quàm non modus dici debet. Et mirum, SI ID FIDES
 NON DICERET, cum videat, simul in India, Aphrica,
 & Europa locis innumeris filium Dei INCORPORE Sa-
 cramentaliter esse. Quod autem dicitur, Sacramentaliter,
 modus est. Quomodo ergo si subtrahat modum, non vi-
 deat VBIQVE filium Dei CORPORALITER, sed sine
 modo, ac supra omnem modum esse: vbicunque sanè Chris-
 tus est, Christus INCARNATVS EST: Incarnatus au-
 tem SINE CORPORE NON EST. Et magna est fides,
 cognoscere, Christum CORPORALITER esse, vbi Sacra-
 mentaliter est: sed MAIOR est, cognoscere, eum absolutè
 VBIQVE CORPORALITER esse. Nam hoc est sine
 modo cognoscere: illud cum modo. Fides autem quæ est abs-
 que modo, maior est, quàm quæ modum habet. Hactenus



Stapulensis. Et quidem hic Commentarius eius æditus est Anno, &c. 21. cum adhuc Lutherus nihil contra Cinglianos scripsisset: ne forte dicas, Sturmi, Stapulensem à Luthero didicisse Vbiquitatem.

I nunc Sturmi, & accusa etiam Stapulensem hæreseos vbiquitariae. Ad eone tibi frons nulla est, homo impudentissime, ut, cum videas, & sacram Scripturam, & sanctos Patres, & Neotericos etiam, doctos piosque viros, Omnipræsentiam Christi (quam Vbiquitatem vocatis) asserere: tamen scribere audeas: *Vbiquitatem esse prauum & perniciosum dogma: sentinam esse plurimarum hæreseôn: & nos multis nominibus hereticos esse, qui illam defendimus.* Et alibi: *Vbiquitatis doctrinam in NULLIS PATRIBVS, in nullis scholasticis, in nullis Iesuitis, in nullis Monachis, habere VESTIGIA.* O te hominem gnauiter impudentem: postquam verecundiæ & modestiæ Christianæ fines transiisti.

Sed audiamus plures tuas in Vbiquitatem, vel potius in MAIESTATEM IESU CHRISTI blasphemias.

Vocas, impie rabula, *Vbiquitatem hereticam, MATRONAM, DIANAM MAMMATAM:* & paulo post, *ex ea proditura dicis NOVA MONSTRA* Marci Marcionis & Valentini: nisi resistatur. Appellas eam nouam in Ecclesia *MERETRICVLAM:* & (non ita multo post) asseris: *NULLAM vnquam fuisse MONSTROSIOREM,* quàm Vbiquitariorum, *HÆRESIN.* Et postea dicis, *doctrinam de vbiquitate esse verborum & rerum MONSTRA, inaudita, inuisa.* Quin & de vbiquitate seu Maiestate Christi vbique præsentis sic scribis: *Et suam VIRGINEM Vbiquitatem* (Osiander) *breuiter interserit: cuius forma & figura & ornatus ab omnibus rejicitur Patribus* (noli, obsecro, tam impudenter mentiri, Sturmi:) *Scholasticis, Monachis, etiam Iesuitis, IDOLOLATRIÆ VERSVTVM*

TVM TEGUMENTVM. Postea Omnipræsentiam Christi etiam Phyllidi, amasiæ Vergilianæ, comparas, cum inquis: *Et soli (Oliander & Pappus) Phyllida, hoc est, soli* Pag. 62. **PANTACHUSIDA** habento.

Antequam verò plures tuas blasphemias in Ubiquitatem, vel potius, in Maiestatem Christi, recenseam, libet ex te aliquid discere, Sturmi: tu enim iam tum vir sapiens & doctissimus eras, cum ego adhuc in cunis cunirem. Quomodo id (quæso) intelligendum est, quòd Omnipræsentiam Christi primò vocas **MATRONAM**, deinde **MERETRICULAM**: postremò verò **VIRGINEM** appellas? Illud quidem non miror, ex matrona quandoque fieri adulteram: quòd autem ex meretrice virgo fiat: id si ego affirmarem, vos Cingliani id mihi non concederetis, qui negatis, Deo simpliciter omnia esse possibilia. Sed respondebis, opinor, vt Rhetor: vsum te figura, quàm ὕστρον πρὸτερον vocant: qua, quæ postèrius accidere, priore loco recensentur: Itaque eam fuisse alio quando virginem, postea matronam, postremò factam meretriculam. At si virgo fuit, quis eam vitiauit? non enim matronas (si fidem conjugalem marito non seruent) meretriculas, sed adulteras vocare solemus. Certè si vnquam virgo fuit, reuera casta virgo mansit & manebit in omnem æternitatem. De te autem conqueretur, quòd se per vim & iniuriam calumnijs tuis opprimere volueris: nisi tibi diuinitus hæcenus fuisset erepta.

Scribis etiam impie: *Huius mali Brentius author est: qui* Pag. 101. *vt sepultum* **UBIQUITATIS CADAVER** rursus excitaret, attulit sessionem ad dexteram Patris.

Sed nondum est finis tuarum, Sturmi, blasphemiarum: Pag. 114. de Ubiquitate & dextera Dei sic scribis: *Vos autem principio ἔπιτροπὴν apprehendistis: ubi sensistis, hic vos figere pedem non posse, ad Ubiquitatem confugistis: etiam* **DEXTERAM PATRIS**

TRIS arripuisti: quorum *UTRUMQUE TAM EST FIRMUM*, quam illud primum. Cum igitur etiam dexteram patris, hoc est, Dei omnipotentiam irrideas, per quam nos fieri posse contendimus, ut Christus nobis exhibeat verum suum corpus in sua sacra coena: propterea quod ipse se deat ad dexteram Patris, donatus ea infinita potentia, quae nullo loco circumscribi potest: age, Sturmio, recitabo tibi poema ethnici poetae, Orphei: quem Iustinus, Philosophus & martyr, citat in suo libro, quem admonitorium gentium inscripsit: ut videas, poetam ethnicum plus in Theologia intellexisse, quam tu, homo titulo Christianus, intelligis. Sic autem canit Orpheus.

a. discede Sturmio.

b. sed Sturmio haec sunt ignota.

c. Sturmij nauem mentis flectit Aristoteles.

d. fortasse neque hoc credit Sturmio: qui adeo contra Ubiquitatem Christi tumultuatur: cum tamen humana natura diuina sit personaliter vnita.

e. Cingliani manus oculatas habet, credunt quod vident.

f. hoc non credit Sturmio.

g. at Sturmio Deum non metuit: alias a blasphemis abstineret.

*Quos licet affabor, portis exclude a prophanos,
Lucifera Phobes Musae aduerte propago,
Vera loquar, quae nota prius, quae in pectore dudum
Conserta, aeternae nunc praestant munera vitae.
Diuino assideas verbo, quod conspice semper,
Quod c mentis nauem flectat: tu scande per arctum,
Et solum spectato ducem, qui praesidet orbi.
Is per se genitus, solus qui cuncta creauit,
Omnibus assistens: nemo est, qui hunc viderit vnquam,
Mortalis, sed cuncta procul cernuntur ab ipso.
Atq; malum, vnde bonum, miseris mortalibus infert,
Et rigidum bellum, lachrymas, saeuosq; dolores.
Nec quicquam est aliud, non magni regis alumnum,
Quem e neque conspicio tectum caligine densa,
Mortales oculi quoniam mortalibus insunt.
Atq; Iouem penitus non possunt cernere Regem.
Hic siquidem firmum sortitus in aethere caelum est,
Aureus huic Thronus est, pedibus iacet arida tellus:
ET F DEXTRA OCEANI velocis littora cingit.
Hunc g metuunt celsi montes, hunc flumina, pontus.*

Vide,

Vide, Sturmī, hic ethnicus Poëta rectius de dextera Dei sentit, quam tu, qui Christianus es professione, utinam etiam fide. Tu enim dexteram Dei cœlo includis, & eò locas Christi corpus ad dexteram illam Dei: Orpheus autem fatetur, quòd dextera Dei etiam Oceanum cingat. Sed vnam adhuc tuam blasphemiam, quam in Ubiquitatem euomisti, audiemus.

Si enim (inquis) Ubiquitatis doctrina vera est: incertus descensus, incertus ascensus, incerta mors, incerta vita, incerta ipsa fides est: locum, ubi in cœlo consistant, & locum atq; thronum in cœlo, ubi Christum adorabunt, & in ipsa Christi imagine Trinitatis intueantur & venerentur fideles animæ, non habebunt. Pag. 206.

Ergone, Sturmī, Omnipræsencia Christi, quam sacrae literæ tradunt, quam Orthodoxi Patres asserunt, quam p̄ij, syncri, & eruditi Theologi neoterici docuerunt, evertit rotam Christianam Religionem? Quid enim de tota religione Christiana saluū erit: si filij Dei de cœlo descensus, si ad cœlos ascensus, si ipsius mors, si eiusdē vita, atq; adeò fides ipsa incerta fuerit? Abi in malam crucem, furcifer, cum istis tuis mendacijs, calumnijs, blasphemijs: quas Dominus noster Iesus Christus, ad dexteram Patris sedens, & ubiq; regnans, suo tempore ulciscetur: tecq; nisi resipueris, vn̄a cum damnatis spiritibus, sempiternis poenis excruciantum tradet.

Scripsi in meo Antisturmio primo: Credimus etiam & docemus, quòd filius Dei suas proprietates, verbi gratia, omnipotentiam, omnipræsenciam, omniscientiam, re ipsa naturæ assumptæ humanæ communicauerit. Hanc doctrinam tu (ex tuorum Theologorum sententia) Eutychnam iudicas. Ac de Omnipræsencia satis iam dictum (pro ratione huius scripti) puto: de omnipotentia & de omniscientia Christi hominis, etiam sacras literas audiamus: contendunt enim Cingliani, si hæc diuinæ naturæ proprietates humanæ naturæ communicentur,

tum

tum humanam naturam aboleri, & in diuinam (vt Eutyches
fenlit) conuerti.

Matth. 28.

De omnipotentia Christi secundum humanam natu-
ram; sic ait Christus ipse, qui haud dubie testis est omni ex-
ceptione maior: Data est mihi **OMNIS POTESTAS** in
caelo & in terra. Sturmi, quæso te, quid significat omnis po-
testas in caelo & in terra? nonne omnipotentiam? quid mus-
fas, Sturmi? quid barbam tuam Philosophicam mulces? Re-
sponde. Est ne aliquid aliud, omnis potestas in caelo & in ter-
ra? & aliud, omnipotentia?

Si callidè elabi voles, & affirmare, hæc ad diuinam non
ad humanam naturam spectare: reclamabit tibi Athanasius
» apud Theodoretum Dial. 2. inquires: Quæcunque scriptura
» dicit Christum in tempore accepisse, propter **HUMANITA-**
» **TEM** dicit, **NON PROPTER DIVINITATEM.**
Hic tibi, Sturmi, nulla patet rima. Si enim ad diuinitatem
Christi retuleris, quòd omnem potestatem aliquando accep-
perit, qua antè caruerit, Arianus fueris: quia detracta filio
Dei omnipotestate, seu omnipotentia, etiam diuinitatem ei
abstuleris. Sin de humanitate acceperis, tum illam Christi
omnipotentiam, quam iuxta humanitatem accepit, negare
amplius non poteris: nisi Christum in faciem mendaciæ ar-
guere velis.

Sed vt omnes intelligant, Sturmi, quòd tu Christum ne-
que in præsepio iacentem, neque parentibus suis ministrans-
tem, neque docentem atq; miracula facientem, neque patiens-
tem, morientem & resurgentem, neque ad caelos ascendens-
tem, & ad dexteram Dei sedentem, rectè noueris: recitabo
» tua verba, quibus omnipotentiam Christi, imò etiam Dei Pa-
» tris, describis. Ais enim: *Qui, quod vult, facit, quod non vult, non*
» *facit, is potens est, si facit, & quoties facit. Qui verò omnib. tempori-*
» *bus, omnibus in locis, in omnibus rebus & negocijs id facit: IS VERE*

OMNIS

ANTISTURMIUS ALTER.

25

OMNIPOTENS dicitur. Et paulò post negas, *unum corpus ve-* Ibidem.
rum in DV O B V S locis simul esse posse. Age, Sturmi, confide-
 remus Adamum ante lapsum. Si is in sua innocentia persti-
 tisset, utique nihil tentasset, quod ipsi fuisset impossibile: im-
 possible enim tentare, à peccato proficiscitur. Adam igitur
 omnibus temporibus, omnibus in locis, in omnibus re-
 bus & negocijs fecisset, quod voluisset: ergo (ex tua conse-
 quentia) ita fuisset omnipotens, ut Christus est omnipotens:
 imò ut etiam Deus pater est omnipotens. Hoc illud est,
 Sturmi, quod iam dudum in vobis Cinglianis reprehendi-
 mus & accusamus: quòd IESVM Christum Servatorem nos-
 trum IN ORDINEM aliorum hominum (peccato solo ex-
 cepto) COGITIS. Hæc horribilis est impietas & blasphemia
 in Mediatorem nostrum, Christum: & hic est proximus
 gradus ad Arianismum. Vide, Sturmi, quousque iam in im-
 pietate sis progressus.

Dicamus etiam aliquid de Christi OMNISCIENTIA,
 quam æquè Cingliani negant, atque Christi omnipoten-
 tiam. Neque enim ex eo, quòd homo Christus toties homi-
 num cogitationes vidit, adhuc tantum profecerunt, ut cre-
 dant, Christo homini nihil esse occultum. Excæcatum est
 enim cor Cinglianorum, & induratum est cor eorum, ut non Iohan. 12.
 videant oculis, & non intelligant corde. Audiamus igitur
 Paulum de Christo sic loquentem. In quo (Christo) sunt Col. 2.
 OMNES THESAURI SAPIENTIAE ET SCIEN-
 TIAE absconditi. Christus igitur in se habet OMNES The-
 sauros sapientiae & scientiae: & tamen non omnia (iuxta
 Sturmij opinionem) novit: etiam hodie in statu gloriae: pe-
 rinde ac si Christus claves, quæ ad Thesaurum istum aditum
 facere possent, aut nunquam accepisset, aut amisisset. Agis-
 tur iam de statu gloriae, non humilitatis: in forma enim ser-
 vi Christus fatebatur, se diem novissimum (quando is res
 D bus

bus humanis superuenturus esset) ignorare. Iam ad dexteram Patris in plenam Maiestatem collocatus omnia nouit, quorum aliqua in statu seruili nosse non desiderabat: ad quem seruilem statum etiam referendum est, quod Christus filijs Zebedæi respondebat, dicens: Sedere autem ad dexteram meam & sinistram, NON EST MEVM DARE vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Hoc certè Christi dictum ad maiestatem Christi, in qua hodie regnat, non est transferendum.

Matth, 20,

Clamat autem Sturmius cum suis Cinglianis: si hæ proprietates diuinæ (omnipræsentia, omnipotentia, & omnis scientia) Christo homini tribuantur, tum humanam naturam aboleri, atque in diuinitatem conuerti: idè Eutychianum esse dogma vociferantur. At Eutyches sensit, humanam naturam de cœlo allatam: eamq; statim in vnione personali in diuinam naturam totam absorptam & conuersam esse. Nos verò docemus, quod filius Dei humanitatem suam non è cœlo attulerit, sed ex substantia virginis Mariæ assumpserit: & quod humana in Christo natura in omnem æternitatem maneat, neque vnquam aboleatur: etiam si diuinis dotibus ornetur, atque supra omnes creaturas exaltetur.

Et non tantum sacræ literæ Christo homini suprâ commemoratas diuinas proprietates tribuunt, verum etiam Sancti Patres diuinas operationes carni Christi adscribunt: neque tamen ideo eam abolent, aut in diuinitatem conuertunt.

CYRILLVS IN IO ANNE M

inquit:

Quamuis natura carnis, vt caro est, viuificare nequeat, facit tamen hoc: quia TOTAM VERBI OPERATIONEM suscepit.

DA

DAMASCENVS

lib. 3. cap. 7. & 15. inquit:

Diuina natura PROPRIAS SVAS EXCELLENTIAS
 seu glorificationes CARNI COMMUNICAT, seu impertit:
 ipsa verò in se passionum carnis manet expers.

ATHANASIVS ORATIONE

contra Arianos 2. & 4. de hoc negocio
 sic scribit:

Cum enim ipsius (Christi) sit corpus, meritò ipse, vt
 HOMO, ratione CORPORIS, humanitus exaltari & accipere
 memoratur: eò quòd CORPVS illa recipiat, quæ V ERBVM
 SEMPER POSSIDEBAT, secundum suam ex Patre DEITAT
 TEM. Dicit igitur se potestatem accepisse, vt HOMINEM,
 quam semper habet, vt DEVS.

Cum igitur sacræ literæ, & Patres Orthodoxi diuinas
 proprietates humanæ in Christo naturæ communicatas esse
 doceant: aut Christum, Apostolos, & Patres, Eutychianos
 facies: aut illi contra te testimonium dicent, quòd sis egregius
 calumniator. In disiunctiuis autem (vt nosti) sufficit, alter
 ram esse veram.

Quid si ego tibi etiam tuum Rudolphum Gualtherum
 contra TE adducam, Sturm? Is enim in Acta Apostolica Fol. 146.
 sic scribit: At per æternum illud Dei Verbum omnia crea
 ta esse, & eidem omne Iudicium & omnem potestatem à
 Patre datam esse constat: Ioan. 1. item. 3. & 5. Deus ergo ve
 rus sit, oportet. Neque hîc nobis DANDI verbum quisquam
 obijciat: quasi minor sit, cui ab altero aliquid datur, HOC
 enim AD ASSUMPTAM hominis NATVRAM RE
 FERTVR: cui præfinito tempore à Patre datum est, quod
 iuxta diuinitatem Christus ab æterno habuit. Hactenus

D 2 Rudols

Rudolphus Gualtherus. Tanta est enim vis veritatis, vt etiam inuitis aduersarijs, per ipsorum ora quandoque erumpat.

Ego in meo primo Antisturmi adduxeram duas similitudines, vnam Basilij, de ferro ignito: alteram Cyrilli, de carbone igneo: non autem eo fine eas recitaram, vt probarem, Christum sua humanitate esse vbique praesentem: (dudum enim noeram, quod similitudines non probent dubias propositiones, sed quod res obscuriores illustrent:) sed vt ostenderem, sicuti ferrum & carbo non in substantiam ignis conuertuntur, etiamsi ignis proprietates recipiant: ita humanitatem Christi non in diuinam naturam conuerti, etiamsi humanae naturae, diuinitatis proprietates communicentur.

Pag. 217.

Ecce autem Sturmi, quid ad ea respondeas. *Basilius* (inquis) recte: ad demonstrandam vnitionem duarum naturarum. *Arctissime* enim ista duo vnita sunt: sed ita tamen, vt ferrum videatur: siue rotundum illud sit, siue quadratum, atque oculis etiam certatur corporis lumen ignis. Neque ita tamen vnita sunt: vt non reali ratione distinguantur: & non aliud lumen, aliud ferrum esse, videant omnes. Recte igitur *Basilius* ad probandam vnitionem, siue vnionem duarum naturarum, hoc usus est simili. Quid vero ista similitudo facit ad probandam siue *Vbiquitatem*, siue *omnipraesentiam*? Vt enim si focus tuus igni luceat, & ea luce totum illustretur cubiculum: neque focus, neque ligna, neque carbones ad totum pertinerent cubiculum, sic etiam diuinitas in corpore Christi per totum quidem mundum commeat, corpus autem eo loco manet, & in ea parte dexterae Dei, vbi Deus Pater filio suo thronum constituit. Ad Cyrilli similitudinem sic respondes, Sturmi: *Vide* (Osiander) *ne te carbone Cyrilli ita denigres, vt totus ater conspiciat.*

NOTA: quod dextera Dei partes habeat, iuxta Sturmi Theologiam.
Pag. 218.

Hocine, Sturmi, est respondere? ad rem, inquam, hoc sine est respondere? ego ostendo, humanitatem in Christo non aboleri, si diuinae proprietates humanitati assumptae communicentur.

municentur: tu respondes: humanitatis Christi omnipræsens-
tiam non probari similitudinibus de ferro & carbonibus ignis-
tis. An non ego tibi illud occinere possim: TV VERO, Stur-
mi, DIC DE TRIBVS CAPELLIS? Siccine tuos audito-
res doces Dialecticam & Rhetoricam? vt de alijs interroga-
ti, de cœpis respondeant? Sed hoc suum habet Sturmus, vt
cum respondere nequeat (more Sophistarum Sorbonicos-
rum) aliquantum grunniat, & mox alio se proripiat: idq; olim
Lutetiæ ante complures annos didicisse videtur.

Atq; hæc tibi Sturmi (pro ratione breuitatis, cui studeo)
de Vbiquitate humanitatis Christi, & de proprietatum diuis-
narum in persona Christi reali communicatione, nunc dicta
sunto: ad alia enim veniendum est.

DE BACCHARIS vehementer in nostros, eo etiam
nomine, quasi ascensum Christi in cœlum simpliciter neges-
mus: quasi duos alios ascensus, quos Scriptura ignoret, com-
menti simus: quasi cœlum & infernum confundamus, atque
commisceamus. Itaque iam Deo ipsi & Angelis metuis, ne
cogantur Dæmones (impurissimos & improbissimos Spiritus)
secum in cœlo perferre. Dicis nos negare illud Christi: Pag. 114.
Venite benedicti in regnum Patris mei: & illud: Discedite
maledicti in ignem æternum. Et has calumnias tragicis ver-
bis ornas, atque rem rhetoricè exaggeras. Tua autem verba
recitabo, vt deinceps candidus Lector inde aliquo modo æstis-
mare possit, QVANTVS TU SIS CALVMNIATOR.

Quanta hæc (inquis) tyrannis est? cogere nos, vt ipsis creda-
mus, in verbis Christi nullam conuersionem aut modum esse: in illo
verò capite Apostolici Symboli esse translationem aut abusionem:
Ascendit ad cœlos: sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis, &
inde, inde rursus, inde, inde inquam, venturus est. Et tacemus,
cum in templis docent, duas esse ascensiones veras, tertiam veram non
esse:

esse: primam, post salutationem angelicam: simulac enim conceptus fuit, ascendisse. Alteram, posteaquam dixit, consummatum est, & emisit Spiritum. Tertiam verò, quam omnis antiquitas credidit, didicit, docuit, scriptis tradidit, esse imaginariam: visum fuisse, & ut quidam ex his, disparitionem fuisse. Omnia supera, infera, media confundunt: domicilium Diabolorum regno caelesti coedificant. Christus dicit: Mansiones in domo patris mei multae sunt: isti has mansiones & haec domicilia dirimunt: & Diaboli interponunt diuersoria.

Pag. 15. 208 207.

Has calumnias multis alijs locis in tuo quarto Antipappo repetis: ac speras, fore, ut calumniae toties inculcatae tandem in hominum auribus & cordibus haereant.

Grauius sanè hæc, Sturmii, crimina essent: si tu vir esses bonus, & non calumniator. Et video, te histelis non tantum Ministros Ecclesiae Argentinensis, fratres meos in Christo charissimos, verum in primis D. Brentium, feliciter in Domino quiescentem, aliosque synceros Theologos, petere. Caudis de igitur & breuiter rem totam, ut se habet, exponam.

Sacrae literae tradunt, Christum, postquam à resurrectione per quadraginta dies Apostolis apparuisset, videntibus illis eleuatum esse, & NUBEM suscepisse eum ab OCULIS EORVM, assumptum esse in caelum, & sedere à dextris Dei: imò ascendisse super omnes caelos, ut omnia impleret. Itaque credimus, Christum verè à terra in altum sublatum, & ingressum esse in caelestem plenam gloriam, maiestatem, atque perpetuam foelicitatem. Docent etiam sacrae literae: Dominum visibiliter rediturum, sicut viderant eum Apostoli euntem in caelum: sed rediturum cum gloria & maiestate multa: ut iudicet viuos & mortuos: venturum, inquam, de caelo cum voce archangeli & tuba Dei: & mortuos omnes resurrecturos. Sententias verò pronunciatum iri per iudicem Christum diuersissimas: pijs nimirum hanc: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione Mundi:

Actor. 1.

Mar. 16.

Ephes. 4.

Actor. 1.

Matth. 25.

1. Theff. 4.

Matth. 25.

Mundi: Impiis verò hanc: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius: & iustos quidem hos in supplicium æternum: iustos autem in vitam æternam. Rapiemur enim cum cæteris electis in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. 1. Theſſ. 4.

Hactenus recitari, Sturmii, verba Scripturæ de ascensu Christi ad cælos: & de statu beatorum & impiorum post hanc vitam. Quòd si nos conviceris, quòd vel D. Brentius, vel quisquam nostrum, horum quicquam negaverimus, parati sumus publicè palinodiam canere. Quòd si verò id probare non possis, tu, profectò, calumniator fueris, & Synophanta.

Vnde ergo illas tuas calumnias hausisti? Dicam: ex scriptis D. Brentij, & aliorum bonorum virorum, quæ illi opposuerunt Cinglianorum delirijs: ea scripta tu, præ calumnia andilibidine, intelligere aut non potuisti, aut non voluisti. Cum enim Cingliani non modò ascensum Christi præsentia corporis Christi in cœna opponerent: verum etiam Christum in supremum quoddam cœlum (quod multis myriadibus miliariorum à nobis distaret) ita includerent, ut ante novissimum diem cœlo egredi, & in terris aliquid negocij habere, prorsus negarent: cum de sedibus beatorum, & locis damnatorum non secus loquerentur, ac si singula singulorum domicilia vidissent extructa & exornata: atque Scripturæ dicta, quæ pro more huius seculi, figuratè de alterius seculi rebus loquuntur, non modò secundum literam acciperent, verum etiam crassissimè interpretarentur: atque domicilium etiam malis spiritibus & damnatis in loco certo exædificarent: & ad crassas suas imaginationes figuratum Scripturæ sermonem detorquerent: reprehendit Brentius ipsorum carnales cogitationes, quas illi de rebus alterius seculi conceperant: & eam, quam nunc videmus, calumniarum mercedem.

loco

loco didactri, à cæteris Cinglianis, & à te Sturmio, reportauit.

Matth. 28.

Docuit enim Brentius (cum Luthero) Christum quidem ad cœlos ascendisse : sed non ita includi cœlo , vt nusquam sit alibi: Articulum fidei integrum non dimidiatum accipiendum: quod, videlicet, ad cœlos ascenderit, & sedeat ad dexteram Dei: sicut hunc Articulum Euangelista Marcus recenset. Itaque cum Diuo Paulo sentiendum, quod super omnes cœlos ascenderit, vt omnibus creaturis præsens esset, & omnia tam in cœlo, quàm in terra, pro suo arbitrio, præsens gubernet. Visibilem autem ascensum Christi, non abstulisse nobis Christi præsentiam: quippe qui dixerit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: sed testimonium fuisse exaltationis ipsius & gloriæ cœlestis, atque maiestatis, ad quam est euectus, & foelicitatis illius plenissimæ, quam deuicta morte, & liberato genere humano, iam possideat. Itaque asseruit, Christum non tunc primum in cœlum ascendisse, cum videntibus discipulis in altum esset sublatus: sed eo ipso tempore, quo filius Dei fuit in utero virginis Mariæ conceptus: tunc enim humanitatem assumptam fuisse euectam in summam maiestatem & dignitatem: ea ratione, quia vna persona cum filio Dei sit facta: qua dignitate homini maior contingere non possit: Ascendisse etiam aliquo modo Christum in cœlum, cum efflata anima vnâ cum latrone esset eo ipso die in paradiso: sicut latroni in cruce promiserat: iam enim tum animam Christi in cœlestem foelicitatem fuisse ingressam. Hi sunt, Sturmii, illi duo ascensus, quos tu adeo malignè peruertis & calumniaris: quibus tamen nullus vir bonus & intelligens offendi possit: cum perspicuum sit, incarnationem Filij Dei in utero virginis, & eiusdem emigrationem ex hac vita ad cœlestia gaudia, haudquam tollere illam visibilem Christi ad cœlos ascensionem, quæ quadragesimo die à resurrectione Christi facta est.

Iam

Iam quod ad nostram æternam foelicitatem alterius seculi attinet, docuit Brentius, non esse imaginanda tam crassa spectacula, qualia sunt in hoc mundo. Loqui sanè Scripturam de nouo cœlo, & noua terra creanda: in quibus iustitia habet 2. Pet. 3. tet: quia cœli in nouissimo die magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur, vt Petrus testatur: sed quale illud nouum cœlum sit futurum, & qualis noua terra, id verbis exprimi non posse: quia scriptum sit: Quod oculus non vidit, nec auris Esa. 64. eudiuit, nec in cor hominis ascendit, præparauit Deus ijs, 1. Cor. 2. qui diligunt illum. Sic etiam de pœnis impiorum æternis non esse concipiendas crassas & carnales imaginationes: tametsi illæ pœnæ haud dubiè futuræ sint atrocissimæ, quæ omnem humanum captum superent. Sacram enim Scripturam de his rebus loquentem mutuari vocabula à rebus huius seculi, vt aliquo modo statum alterius seculi adumbret. Itaque eos nimium indulgere suis carnalibus cogitationibus, qui iuxta rationes huius visibilis mundi de alterius seculi conditionibus iudicent. Quin etiam hoc Mundo adhuc durante, non ita esse Dei & beatorum angelorum mansionem certis spatijs distinctam & circumscriptam, vt non quandoque etiam Sathan inter beatos Angelos & homines fuerit deprehensus. Itaque cœlum & infernum non tam locorum distinctionibus, quàm foelicitate cœlesti, & cruciatibus infernalibus describi. Et inter cætera attulit Brentius illud ex libro Iob, vbi dicitur aliquoties: Quadam autem die, cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Sathan. Quæ omnia à Brentio scripta sunt, non eo fine, vt salutis spem electis incertam faceret, impijs verò metum æternorum suppliciorum demeret: sed vt Cinglianos à suis speculationibus carnalibus in viam reuocaret, & intra Scripturæ metas contineret.

E Quis

Luc. 22.

Quis enim, Sturmi, non intelligit, figuratum esse sermonis genus, & ab huius secularisationibus mutuo sumptum, quod Christus ait: Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum: **UT EDATIS & BIBATIS** super mensam meam **IN REGNO MEO**: & sedeat super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel? Nonne Christus his verbis gaudium & maiestatem coelestem adumbrare voluit? Sed tu, Sturmi, ut est dementia, fortasse tibi imaginaris, quod cum Dijs tuis Homericis in caelo conuiuia sis agiturus, & Nectar (ad ebrietatem vsque) bibiturus: ut deinceps cum illis Dijs tuis cubitum eas, donec id villi edoris miscas.

3 Reg. 22.

Psal. 139.

Quod si tanta te calumniandi libido inuasit, Sturmi, cur non calumniaris sanctissimum Iobem, qui Sathanam in congregationem filiorum Dei adduxit? cur non calumniaris Prophetam Micham, qui dicit, confidente Domino in throno Maiestatis, & congregato toto coetu coelesti, egressum esse (e coetu illo) Spiritum mendacem, promittentem, se & Prophetas Achabi Regis, & ipsum etiam Regem seducturum, ut Rex bellum non necessarium moueat & pereat? Cur non listem intendis Prophetae Psalmographo, qui affirmat, Deum esse etiam in inferno? Cur hic non exclamas, Sycophanta, coelum & infernum misceri? introduci Diabolos in coelum? omnia supera, infera, media confundi? Cur non in ius ducis Augustinum, qui alicubi ait, Diabolos infernum suum secum circumferre? Sed quid ago de his rebus cum homine rerum coelestium & verae Theologiae ignaro: qui aliorum Catechistam se profitetur, cum prima Theologiae elementa nondum recte & dextere didicerit? In his rebus **ASINVS** es, Sturmi: Itaque tibi dico illud Ciceronis in Pisonem: Quid nunc te asine literas (sacras) doceam? non opus est verbis, sed fustibus: inquit ille Propheta tuus Cicero.

Manis

Manifestum est igitur, Sturmī, a nostris partibus neque verum illum visibilem ascensum Christi ad cœlos, negari: neque duos novos ascensus fingi: (nisi tibi fortè incarnatio filiū Dei, & Christi ingressus in Paradisum, sunt res nouæ & antea inauditæ:) neque cœlum à nobis destrui: neque infernum aboleri: neque beatorum & impiorum mansiones confundi. Manifestum est autem etiam, te esse hominem virulentum & calumniatorem improbum. Quia verò non modo pro Deo, angelis & electis hominibus, ne beatas suas sedes amittant, verum etiam pro Diabolis & damnatis sollicitum te esse video, ne ipsis fortè locus in inferno certus non relinquatur, iubeo te bono esse animo: manet te, nisi resipueris, (propter immanes tuas blasphemias) locus in inferno certus: ut ego quidem colligo, inter Arium & Lucianum. Et quia propter honores tuos indecens foret, si in prunas tibi confidendum esset, ponetur fortasse sella ferrea, ut quasi in hemicyclo sedens, Ario & Luciano tuos Antipappos, Eucharisticas epistolas, & si quæ alia posthac in hoc genere scribes, recitare commodius possis: audientibus, & ingenij acumen, atque vim illam tuam dicendi admirantibus Diabolis: qui etiam tibi horrendis mugitibus & eiulatibus applaudent.

I A M tandem etiam ad Articulum de Cœna Domini veniemus: & quid nos sentiamus, breuiter exponemus: deinde satanicos tuos sarcasmos recitabimus.

Credimus, nos cum pane & vino in sacra cœna Domini (cum seruetur Institutio Christi) sumere, manducare & bibere corpus & sanguinem Christi: ad recordationem mortis Domini, & ad confirmandam fidem nostram de remissione peccatorum. Ac sentimus, panem non conuerti in corpus Christi, nec vinum in sanguinem Christi: sed tamen corpus & sanguinem Christi reuera adesse, & exhiberi atque sumi, cum visibilibus illis rebus, pane & vino: quia Christus

E s tus

stus dixit: Edite, Hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus. Et cum edamus atque bibamus *ORE*: Christus autem iubeat nos edere suum corpus, & bibere suum sanguinem: recte dicimus, nos ore edere & bibere corpus & sanguinem Domini. Id tamen fieri credimus non iuxta Capernaitarum sententiam impiam: qui putabant, corpus Christi dentibus discerpendum: sed modo coelesti & supernaturali: qui verissimus quidem est, nostrae tamen rationi incomprehensibilis. Haec est pia nostra sententia, quae testimonio Scripturae & ipsa Christi institutione nititur.

Idem senserunt & crediderunt sancti Patres: quorum aliqua testimonia recitabo.

AVGVSTINVS AD NEO-
phytos sic ait:

» Hoc accipite *IN PANE*, quod *PEPENDIT* in cruce:
» ce: hoc accipite in calice, quod effusum est è Christi latere.
» Erit enim illi mors, non vita, qui *MENDACEM* putauerit
» Christum.

CHRYSOSTOMVS
Hom. 29. de osculo sancto.

» Etenim non vulgarem honorem consecutum est os nostrum,
» strum, accipiens corpus Dominicum.

AMBROSIVS AD THEODOSIVM
Imperatorem.

» Quibus oculis aspicias communis Domini templum?
» quibus pedibus calcabis sanctum illius pavimentum? Quo
» modo manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat in
» iustus? Quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum
Domis

Domini corpus? Quate meritate ORA tuo poculum preciosi sanguinis percipies?

Hanc piam sententiam, quam nobis sacrae literae & Patrum scripta tradiderunt, tu Sturmi scelerate depravas, & impie derides.

Scribis enim in Quarto Antipappo: quod vociferemur, *ad- daciores Capernaitis, Christi corpus verè accipi: ETIAM CVM FASCIIS, VT IN CVNIS IACVIT.* Pag. 104.

Mentiris, nos iam multos annos meditari *Artolatrian: vt, videlicet, panis, in sacra caena adoretur.* Mentiris etiam, nos Pontificiorum sententiam (hoc est, transsubstantiationem) de caena Domini comprobare. Pag. 107. Pag. 213.

Dicis: nos PROPE EXCLUSO SPIRITV corporis Domini, carnem CRVDVM & sanguinem NVDVM absque vlla interpretatione in mensa Domini proponere. Pag. 120, 127.

Ais nos affirmare: carnem & sanguinem Christi esse in caena corporaliter, realiter, naturaliter, CVM FASCIIS ETIAM: sed non mundano modo, & huius seculi: sed caelesti. Pag. 125.

De me & D. Pappo, propterea quod veram corporis Christi manducationem in sacra caena defendimus, sic scribis. *Huc isti duo aquilae aduolitant, minus considerati, magis furiosi quam Capernaitae erant, vt CARNALITER pascantur: & hanc sanam Spiritus sancti doctrinam vocant.* Quis non videt Sturmi, te oblique hic alludere ad prouerbum: *Vbi cadauer, ibi aquilae?* Et quod hoc loco caenam Domini irridere & blasphemare volueris, testantur, quae (nullo interposito verbo) subiunxisti. *Margaritas (inquis) abijciunt, purpuram non sentiunt, CONCHAM DENTIBVS FRENDVNT, vt LIMACEM VORENT.* Et quia verum sanguinem Christi ex sacro calice rectè & vouuè a non possunt, in CANTHARIS CEREBVISIARIIS bibunt: & à mensa Domini, & à caena, & à caelestibus bellarijs ad caupo- a. i. iuxta interpretationem Cinglianam, Pag. 105. Ibidem.

nas & popinas & Silenorum pocula deuolant. O horrendam tuam Sturmi, blasphemiam, non stylo, sed fulmine refutandam: audes ne tu, sceleste furcifer, Sacramentum coenae Domini concham, & sacratissimum corpus Christi, limacem appellare? Deus te male perdat.

Pag. 124.

Nondum tibi ipsi blasphemando satisfacisti, Sturmi: ais enim de me & D. Pappo: *Et si enim in aëre volitent quotidie, & sese aliis suis librent, & eas explicent, & superbos gyros praesidenter ducant: tamen sese in rationis & caelestis doctrinae gyros duci non patiuntur, eos quos Euangelicus Aquila Ioannes Euangelista caelesti volumine formauit, cuius exemplo quoniam solem & veritatis lumen aspicere non possunt, in HVMM & in terram deorsum oculos figunt, ubi COTURNICES quarunt in tentorio Israelis: caelestis panis & cibi omnino ignari.* En, blaspheme Sturmi, nunc carnem Christi coturnicibus illis comparas, quas Israelitae desiderantes & comedentes, mortem sibi accelerarunt. Haec, scilicet, est illa modestia Cinglianorum, quam toties ipsi praedicant: & quam multi stultè admirantur.

Atque haec quidem adhuc tantum de dignorum manducatione dicta sunt: quomodo de impiorum manducatione loquaris, etiam referendum est: ubi prius breuissimè nostram de ea re sententiam exposuero.

Scimus, Dei beneficio, sacram coenam non esse in gratiam impiorum institutam: & hortamur nostros auditores, ne ad coenam Domini indigni accedant. Interim tamen credimus, si quis indignus accesserit ad Domini coenam: (indignos vocamus autem, impoenitentes:) quòd ille non modò panem & vinum, sed etiam corpus & sanguinem Christi accipiat: non tamen ad suam salutem, sed ad iudicium.

Id verò credimus, ea de causa, quòd sacrae literae id affirmant. Paulus enim ad Corinthios scribens, ait: *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè:*

1 Cor. x. 11.

indignè: reuserit CORPORA ET SANGVINIS DOMINI. Et, post aliqua inquit: Qui enim manducat & bibit indignè: iudicium sibi manducat & bibit, non dñudicans CORPVS DOMINI. Hæc docuit Paulus, qui in tertium cœlum raptus, & in paradiso fuit: cui multò tutius fidem habebimus, quàm Cinglianis scriptoribus, qui humanæ suæ rationi plus tribuunt, quàm cœlesti veritati in sacris literis reuelatæ.

Sed audiamus etiam Patres, qui de hac re suam sententiam haud obscure nobis aperuerunt.

AVGVSTINVS contra Donatistas lib. 5. cap. 8. sic scribit: Qui accipit Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malusest, malum sit: aut, quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. CORPVS ENIM DOMINI nihilominus erat, ILLIS ETIAM, qui INDIGNE MANDVCABANT.

BASILIVS capite vltimo de Baptismo, inquit: Si, qui fratrem per cibum contristat, à charitate excidit: quid de eo iudicandum est, qui OCIOSE ET INVILITER EDERE RE audet CORPVS, & BIBERE SANGVINEM DOMINI?

CHRYSOSTOMVS Homilia 3. ad Ephes. ait: Quomodo comparebit ante tribunal Christi, qui LABIIS & manibus IMMUNDIS ipsius ausit CORPVS ATTINGERE?

Neque mirum est, Patres cum Apostolo Paulo hac in re consensisse. Non enim veritas Dei (quo ad Sacramentorum substantiam) ex hominum fide vel incredulitate, dignitate aut indignitate dependet. Interest quidem plurimum ad salutis viam (vt Augustinus contra Donatistas, tuos, Sturmii, fratres, scribit:) sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Non enim definitio Sacramenti cœnæ Dominicæ
muta

mutatur, cum nunc digni, nunc indigni, accedunt. Vna eademque mensa apposita est, quae pijs ad salutem, impijs ad iudicium cedit. Christus enim, ut piorum est SALVATOR: ita impiorum est IVDEX.

Hanc piam nostram, cum sacris literis & Patrum testimonijs congruentem de impiorum manducatione sententiam, quomodo calumnijs tuis obruere, & blasphemijs conspurcare coneris, tuis, Sturmii, verbis ostendam.

Pag. 87. *Cenam Domini* (inquis) CVM DIABOLI MENSAMISCENT: & quod Christi corpus pijs animis distribuitur, ID ETIAM IN DIABOLI MENSIS VBIQUE EST. An non istud est ubiq; omnia omnibus perturbare, miscere, confundere, evertere: ut veritas, quae ubiq; vera est, nusquam appareat?

Pag. 101. *Vtraque* (ais) manducatio post istam Formulam Concordiae, quam decimum iam annum parturiunt, ut in Epistolis demonstrabo: rursus, tanquam ENDYMION post somnum quinquaginta annorum, in lucem prodijt: circumspectans iam dudum, an quisquam sit, qui ausit refragari, SVA REGIA SICA ad OMNES decurrens, per omnes terras volitans, asserens, & buccinans, corpus Christi ubiq; esse, inter diabolos etiam versari: commisceri in caelo domicilia sanctorum atque diabolorum: COENAM CVM IMPIIS, & LATRONIBVS, & ADVLTERRIS CELEBRANS.

Pag. 106. *Dicis: Lutherani, qui nunc sunt, & dici volunt, excepta transubstantiatione, idem dicunt: & amplius videntur addere, etiam ab impijs & Turcis manducari, & ORE MASTICARI.*

Pag. 112. *Et PRO IMPIIS & Atheis* (inquis) PVGNANT vespa mea (Osiander & Pappus:) & horum ori & linguae, & VENTRICOULO, & STOMACHO, divina bellaria parari volunt: non pro indignis: non enim hos impios esse puto: & propter CAPERNAITICAM suam praesentiam DIMICANT.

MICANT: atque hoc agunt, ut patrum, quam non intelligunt Sacramentorum venerationem **AD ARTOLATRIAM** rursus applicent.

Denique, Sturmi, me his verbis compellas: *O misericordem hominem: qui etiam indignos ad hanc mensam Domini admittis.*

Vide, Sturmi, an non contra conscientiam tuam propriam, doctrinam nostram de coena Domini, odiosissime traduxeris, maliciosè peruerteris, & horribilibus blasphemis contaminaueris? Quare ne dubita, quin de hac tua insigni malitia & impietate Iesu Christo, cuius Sacramentum & institutionem irrisisti, iusto Iudici, redditurus sis rationem.

INSERVISTI tuo Antipappo multa & grandia mendacia: quibus Cinglianisum tuum pingere, eumque Ecclesijs Christi obtrudere conaris: ne forte ab eo, ut hactenus factum est, abhorreant. Ad ea tua figmenta, quantum necessitas postulare videbitur, respondebo.

Conaris, Sturmi, persuadere omnibus, quatuor Ciuitatum Confessionem, quæ Augustæ, Anno 30. Cæsari Carolo V. exhibita, sed non accepta fuit, (sub qua tu Cinglianisum tuum occultas: quia insufficiens & perplexa est) eiusdem planè argumenti esse cum Augustana Confessione, quæ à Principibus & Ordinibus Imperij tum temporis oblata est Cæsari. Speras autem, si quis eam ciuitatum Confessionem receperit, iam eum in castra Cinglianorum esse pertractum. Etsi enim commoda interpretatione leniri potest: tamen manifestum est, quid tum temporis senserint, qui eam vel scripserunt, vel exhibuerunt. Quare vnà cum illa Confessione Cinglianisum (more præstigiatorum) incautis obtrudere paras: ut cum eam approbarint, paulatim à vera Augustana Confessione discedant. Auscultabimus aut aliquandiu tibi mentienti; deinde te refutabimus.

Pag. 13.

In Comitibus verò ipsis (inquis) quæ anno trigesimo habita fuerunt, Principum Legati, cognita **CONFessione VRBIS NOSTRÆ**, cognita etiam **PRINCIPVM SVORVM VOLVNTATE**, in colloctionem cum Legatis nostris, Iacobo Sturmio & Matthia Pfarrero, venerunt: ostenderunt, **NOSTRAM CVM SVACONFessione CONSENTIRE, NIHIL PVGNARE**: statuerunt, vt simul vtrunque offerrent Cesari: nam quoniam consentanea erant, putabant, vtrunque Cesarem accepturum. At Cesar, auditis Pontificia Religionis Principibus, eorumq; Legatis, vtrunque simul accipere recusabat: alteram earum, quam vellent, accepturum sese receperat. Non enim putabant, posse fieri, vt **TANTVS** esset **DOCTRINÆ CONSENSVS** inter Principes & Ciuitates. Itaque Cesari authores fuerunt, vt id peteret, quod confici posse non putabant.

Ibidem.

Post non multa, dicit, *Senatum Argentinensem respondisse* (per literas) *suis Legatis his verbis*: Si Principes nostram (i. Argentinensem Confessionem) approbarent, & suæ non esse dissentaneam faterentur: honoris causa concedendum Principibus, vt **SOLA PRINCIPVM EXHIBERETVR CÆSARI** & Statibus Imperij: ea tamen lege, vt nostræ Ciuitati suæ domi suæ & suis pastoribus & populo, salua & integra relinqueretur Confessio. Principes & Legati de hac voluntate Senatus nostri per Legatos certiores facti, ea conditione nostram (Argentinensem, quæ est quatuor Ciuitatum Confessio) saluam Senatui libenter esse voluerunt: suam verò **COMMVNITER**, quam Augustanam vocamus, Cesari tradiderunt: **SVBSCRIPTAM A LEGATIS NOSTRIS**.

Pag. 16.

Et post duo folia dicit: In quo illud memorabile: quod cum inter Principes & Ciuitates **STATIM** conueniret: & **VNAM PRO OMNIBVS CONFessionem CÆSARI TRADIDISSENT**: tamen Theologici dissidij vtrunque difficilis extaret compositio.

Audis

Audiuimus haec tuas fabulosas narrationes, Sturmii; audiamus etiam historicum, ea scribentem, quæ à magnis viris acceperat: & quæ toti Romano Imperio non sunt ignota.

IOANNES SLEIDANVS LIB. 7.

folio 87. de rebus gestis, in Comitibus illis Augustanis Anno 30. sic scribit:

Interim ARGENTINENSES, Constantienses, Memmingi, Lindauij, doctrinæ suæ Confessionem scriptam ET IPSI TRADUNT Cæsari: de cœna Domini NON IDEM HI, QVOD SAXONES, ATQVE SOCIIS SENTIEBANT: vt supra diximus.

Supra autem eodem libro, folio 84. Sleidanus sic scripserat:

Argentineses interea muniendi sui causa, quò vim iniustam à se suisque depellerent, cum Tigurinis, Bernatibus, Basiliensibus, qui & vicini erant, ET DE DOGMATE MAGIS CONVENIEBANT, foedus faciunt.

Nosti autem Sturmii, quòd Sleidanus, cum hæc scriberet, Argentinæ habitaret: nosti, quòd pleraque acta, quibus ad historiam contexendam illi opus erat, à præstantissimis viris (etiam Reip. Argentinensis) acceperit. Cur igitur non pudet te, in re tanta, & quæ nondum ab hominum memoria est remota, neque in regionibus extra Imperium Romanum gesta est, tam gnauius atque impudenter mentiri? Turdicis, idem sensisse Principes & illas quatuor Ciuitates, eandemque vtriusque Confessionis esse sententiam: Sleidanus negat. Sed non is solus negat: res ipsa reclamat. Si enim Argentinenses Legatis suis permiserunt, vt SOLA Principum Confessio Cæsari exhiberetur: cur postea Argentinensem etiam exhibuerunt: quæ à Cæsare non est recepta?

Si Augustana Confessio COMMVNITER nomine Principum & Ciuitatum Cæsari oblata est: cur postea Ciuitates peculiarem confessionem Cæsari obtulerunt: & quidem magno cum offendiculo, & multorum periculo? Denique si Augustana Confessio tunc fuit à Legatis Argentinensibus subscripta: quâ sit, quòd Argentinensis Reipublicæ nomen, non etiam cum Norimbergensi & Reutlingensi subscriptione in exemplaribus Augustanæ Confessionis extat? Certe enim Legati Argentinenses non sua, sed Reipublicæ Argendoratensis causa & aderant & agebant. Vides'ne, Sturmî, quàm turpiter stes, in tuis mendacijs deprehensus? Bone Deus, quid factururus esses, si tibi scribenda esset historia rerum ante aliquot secula gestarum, & quidem in longè remotis regionibus: cum in ijs rebus, quæ in Imperio, coram Cæsare, Electoribus, Principibus, alijsque Imperij Ordinibus, hominum nostrorum memoria, in loco celeberrimo, in Germania gestæ sunt, apertissima mendacia scribere in publicum non pudeat?

Quare, Sturmî, desine Cinglianismum tuum cum quatuor Ciuitatum Confessione hominibus obtrudere & venditare: quasi inter illam & Augustanam Confessionem (quæ tota sincera est) nihil sit, in negotio Cœnæ Dominicæ, discriminis.

Rag. 14.

DEINDE Sturmî, vt paulatim abducas homines à vera & sincera Augustana Confessione ad tuum Cinglianismum, primam illam Augustanam Confessionem haud obscure sigillas & contemnis. Quid enim sibi vult, quòd bis in eadem pagella dicis: AVGVSTANAM CONFESIONE M TEMPORIS CAUSA SCRIPTAM? Et post aliqua dicis: *Temporis enim causa data Cæsari: & DELINEATA potius, quàm tota perscripta fuit Confessio.* Quid? Principes'ne in causa tam ardua, quæ ad Dei gloriam & Christiani orbis salutem

tem

tem pertinebat, TEMPORIS ABANT? (vt quidam barbare loquuntur:) Siccine illis cordi erat vera Religio, & puritas doctrinae coelestis, vt mutilum et imperfectum scriptum offerrent: & quidem aliud in Confessione sua scriberent, vt Cæsari, (qui Pontificiae religioni adhuc erat addictus) fucum facerent: cum ipsi interim aliud corde premerent, quod temporis progressu proferendum putarent? An tu Electores, Principes & Ordines Imperij, qui tum Augustanam Confessionem magno suo periculo Cæsari obtulerunt, ex tuo ingenio iudicas: qui tot annos Cinglianismum, interdum eruantem, tamen apud te compescuisti, donec eundem iam simul & semel euomeres? Hæccine consentiunt cum tuis protestationibus, quibus affirmas, velle te Illustrissimorum Electorum atq; Principum authoritatem atque famam sanctam tectamque esse? Sed de hac re infra suo loco plura: nunc mihi satis erit dolum tuum ostendisse, quo mendacis primam Augustanam Confessionem labefactare, eamque è manibus hominum extorquere conaris, vt postea talem substituas, quæ Cinglianismo tuo aut patrocinetur, aut certè non repugnet.

Illud ipsum agis etiam, cum contendis, Electores & Principes, qui Naumburgi conuenerant, subscripsisse, non primæ, sed mutatae Augustanae Confessioni: cumque ego istum tuum errorem in primo meo Antisturmio correxissem, nunc in quarto Antipappo me temerè mendacij arguis: sic enim scribis: *Omniū verò audacissimus est Hostiander meus, qui me falsi audet coarguere, & asseuerare, Principes Naumburgi, PRIMÆ Confessioni Augustanae illi NON MUTATAE SUBSCRIPSISSE: emendatae verò & ampliatae non subscripsisse: id quod ego in Antipappis negavi. Proferat signa & eorum scriptiones. Videat, ne dum me falsi insimulat, ipse falsarius deprehendatur.*

Et si autem, Sturmi, non ignoro, quod Electores & Principes Confessionem, anno XLII. editam, non reiecerint, neque deseruerint: ea de causa, quod in aliquibus articulis copiosius explicata sit, ut coelestis veritas eo magis illucesceret: & fiducia in meritum redemptoris nostri Iesu Christi, absque humanis traditionibus, pura & incorrupta conseruaretur, & ad posteritatem transmitteretur: (hæc enim verba sunt in ipsorum præfatione:) tamen dico, quod Electores & Principes eam Confessionem Augustanam Naumburgi subscripserint, quæ Anno 30. Cæsari Carolo V. exhibita, & post Comitæ illa, anno 31. Vvittebergæ typis est excusa. Recitabo autem tibi partem præfationis, qua Cæsarem Ferdinandum Electores & Principes alloquuntur: quæ illi denuò subscriptæ Confessionis præfixa fuit. Hæc autem, quæ iam Latine (ex authentico exemplari descripta) subiiciam, contuli diligenter cum Germanico exemplari: quod manibus Electorum, Principum, & Ordinū Imperij subscriptum est, eorumque signa seu sigilla habet, ut manifestum fiat, ego ne, an tu sis falsarius.

» Cum igitur (inquiunt Electores & Principes) Augustæ
 » Anno XXX. Imperatori Carolo V. inclytæ memoriæ maiores nostri & nos Confessionem nostram, Latina & Germanica lingua scriptam, exhibuerimus: in qua summa coelestis doctrinæ & religionis nostræ comprehensa est: cuius exhibitæ Confessionis testes, nos duo, Philippus Landtgravius Hafsia, & Vvolfgangus Princeps Anhaltinus, è reliquorum Electorum & Principum numero, adhuc superstites sumus: non intermisimus, E A N D E M quoque C O N F E S S I O N E M, quemadmodum paulò post finitis Augustæ Comitij Vvittembergæ, Anno, &c. XXXI. tam Latine, quàm Germanicè typis edita & publicata, & secundum quam Ecclesiarum nostrarum inspectio & reformatio instituta

tuta

tuta est, RVRSVS CONSIDERARE & PERPENDE
RE.

Etsi enim postea, Anno, &c. XL, & XLII. prædicta
Confessio (quæ luculentius copiosiusq; repetita, & ex sacra
Scripturæ fundamentis declarata, aucta, & denuo Vvittem
bergæ in publicum emissa, ac in colloquio Vvormatiensi
tunc celebrato à Statibus illi Confessioni addictis, Cæsareis
præsidentibus ac collocutoribus exhibita est) approbata, in
colloquio defensa sit: tamen N V N C quidem E A M Con
fessionem, quæ anno XXXI. excusa est, REPETERE
VOLVIMVS, vt C. M. V. & quilibet re ipsa intelligeret,
NON ESSE ANIMVM aut propositum nostrum, VL
LA ALIA aut NOVA DOGMATA spargere vel de
fendere.

Quia igitur E A M CONFSSIONEM testimonio
immutabilis VERITATIS, quæ per Filium Dei eiusque
verbum & Euangelium reuelata est, MVNITAM ESSE
perspeximus: Ideo CONSENTIENTIBVS suffragijs
RVRSVS EAM DE NOVO SVBSCRIPSIMVS & AP
PROBAVIMVS: ac stat nobis sententia, IN EA Con
fessione, Deo iuuante, CONSTANter PERSEVE
RARE: eoque libentius fecimus, vt POSTERIS NOSTRIS
PVBLICVM, CERTVM, ET FIRMVM TESTIMONI
VM sacrae doctrinae & Religionis nostræ relinquamus: vn
de cognoscant, doctrinam VERAM & piam esse: & in
iustas esse aduersariorum sugillationes. Præsertim verò, vt
alij REPETITA hac CONFSSIONE, ad inquir
endam maiore diligentia verbi diuini veritatem propria sa
lutis suæ causa admonerentur & incitarentur, & AD CON
STANTIAM IN TVENDA VERA DOCTRINA CON
FIRMARENTVR.

Vter

Pag. 174.

Vter nunc, Sturmi, falsarius est, ego ne, an tu: qui contem-
dis, Principes Naumburgi **EMENDATAE** Confessioni
subscripsisse? Sic enim ais in quarto Antipappo, vbi me his-
ce verbis contumeliosè compellas: *Quòd falsarium crimen mi-
hi obijcis: qui dixerim, Confessione emendatæ subscripsisse Principes,
non autè primæ: caue tibi à talione: AD HVC AIO, EMEN-
DATAE Augustanæ Confessione subscriptum esse: NON
PRIMÆ, vt vestra fax petebat, aut certè cupiebat. Si in eo
me falsarium esse dicitis: CVR NON VOS FALSARII:
qui FALSO me in eo ACCVSATIS? Ahi, affer
subscriptiones & signum Principum.* Respondeo Sturmi: veni
Stutgardiam: & (permissione Illustrissimi Principis ac Do-
mini, Domini Ludouici, Ducis Vvirtembergici, &c. Domini
mei clementissimi) monstrabo tibi manus & signa Electo-
rum, Principum & aliorum Ordinum Imperij: & tibi istum
librum, quem intra octiduum in meis manibus habui, in os
tuum mendax ingeram. Quare falsarius es Sturmi, vel tuo
ipsius iudicio: quis tibi autem porro, tam leui homini, fidem
habeat? Intellego autem, qualem **EMENDATA** Con-
fessionem Augustanam velis: eam videlicet, ex qua aliquan-
do hæc verba (quæ Cinglianismo sunt opposita) deleta fuere:
ET IMPROBAMVS SECVS DOCENTES: sub qua
tuus Cinglianismus latere posset, si ea à Principibus appro-
baretur. Prima illa Augustana Confessio non opus habuit
EMENDATIONE: Emendare enim est **MENDAS**
TOLLERE: & est vitiosa **CORRIGERE:** qua in re (vt
Grammatica) prouoco ad tuum Ciceronem: **MENDVM**
scripturæ **LITVRA** tollitur, inquit Cicero. Talem igitur
tu, Sturmi, Augustanam Confessionem Ecclesie obtrudis,
quæ sit **EMENDATA:** hoc est, ex qua verba illa, quæ Cing-
lianismum tuum improbant, sint expuncta: & hanc tu dicis
à Principibus Naumburgi subscriptam: sed falsum hoc est: vt
plura

plæraque tua omnia. Quare non frustra adeo aduersus eos tumultuaris, qui primam illam Confessionem Augustanam (quæ Cinglianismum non obscure reijcit) requirunt. Desine igitur mutilata Augustana Confessione tuum Calvinismum palliare: & illam primam insimulare, quòd **TEMPORIS CAUSA** ita sit scripta, ut non sine causa postea fuerit mutata. Ipsi enim Electores, Principes, & Ordines Imperij (quorum verba paulò antè recitavi) huic tuo impudentissimo mendacio reclamant.

Accusas etiã nos, Sturmi, quòd à formula Concordiæ, quæ in Articulo Cœnæ Dominicæ, Anno 36. inter Lutherum & Bucerum facta est, discedamus: sæpe ad eam nos reuocas: & omnibus persuadere conaris, in ea formula vestram sententiã esse comprehensam: ut his malis artibus callide simplicioribus Calvinismum instilles. Verba tua de illa formula Concordiæ recitabo: *Cur (inquis) hæc Concordiæ via deseritur? quæ* Pag. 18. 29.
Angliam, Galliam, Heluetiam, Phrysiam, Vuestphaliam coniunxit? cur noua queritur, quæ disjungit Ecclesias? Multa, Sturmi, in his paucis tuis verbis insunt mendacia. Si enim nos à Formula illa Vvittembergensi discedimus, cur ea formula **LIBRO CONCORDIÆ** (in quem toties debaccharis) est **AD VERBUM INSERTA**? Inspice exemplar Tubingense, folio ducentesimo nonagesimo secundo, facie secunda. Deinde, maius mendacium est, quòd asseris, via illius formulæ Vvittebergensis fuisse coniunctam Angliam, Galliam, Heluetiam, Phrysiam, Vuestphaliam. Dic mihi, Sturmi, quando illa formula in Anglia recepta est & subscripta? quando in Gallia? quando in **HELVETIA**? De Phrysiâ enim suo loco dicetur. Et quomodo ab Heluetijs fuit recepta & subscripta: cum (si tibi fides sit habenda) ne quidem Argentinenses ministri illius temporis omnes eam totam recipere voluerint? *Ais enim: Obseruatu illud dignum est, quòd* Pag. 19.
pastores

G

pastores

pastores in vrbe nostra (Argentina) qui Vvittembergæ non fuerant, cum pax coiret, ITA subscribebant Concordiæ capitibus: **VT MANDUCATIONEM IMPIORVM & ORALEM EXCIPERENT?** (hactenus fortassè verum dicis Sturmi: nunc aperte mentieris:) id quod humaniter eis concessum est, **ETIAM LVTHERI PERMISSV.** Sturmi, quando tandem istam tuam impudentiam depones? Ostende vnã schedulam Lutheri, in qua ille cuiquam permisit, vt reiecta impiorum & orali manducatione, tamen pro sincero ministro Ecclesiæ haberetur? Qualis verò fuit, obsecro, ista subscriptio: qua ea, quæ præcipua erant in formula, non recipiebant? An non tu sic possis subscribere Mahometicum Alcoranum? vt tibi interim aliqua capita, quæ displicerent, reseruares? An non hoc est in Religionis negotio ludere? Postremò, maximum est figmentũ, quod toties in Antipappo tuo formulam illam Vvittembergensem fingis, tuæ, hoc est, Cinglianorum, sententiæ esse conformem. Qua in re vt vanitas tua appareat, non grauabor formulam Concordiæ illam ad verbum recitare: monebo autem simul opportunis locis, vbi ea cum Cinglianismo è diametro pugnet. Sic autem illa ad verbum habet.

» Audiuimus Bucerum explicantem suam & aliorum, qui
» vnã adfuerunt, sententiam de Sacramento corporis & sanguinis Christi, hoc modo.

» Confitemur, iuxta verba Irenæi, Eucharistiam constare
» DVABVS rebus, terrena & COELESTI. (Terrena res
» est, panis & vinum: cœlestis verò, corpus & sanguis Christi.) Proinde sentiunt & docent, CVM PANE ET VINO
» NO verè & SVBSTANTIALITER ADESSE,
» EXHIBERI ET SVMI CORPVS & sanguinem
» Christi. (At Cingliani dicunt, corpus Christi à terris tanto
» locorum interuallo distare, quantum distat cœlum à terris: &
» exagitant

exagitant hanc phrasin, CUM PANE exhiberi corpus Christi.) Et quanquam negant fieri transsubstantiationem: (hanc Lutherus dudum etiam in publicis suis scriptis reiecerat:) nec sentiunt fieri localem inclusionem in pane, aut durabilem aliquam coniunctionem extra usum Sacramenti: (quod nec Lutherus sensit) tamen concedunt, Sacramentali unione panem esse corpus Christi: hoc est: PORRECTO PANE sentiunt SIMVL ADESSE & VERE EXHIBERI CORPVS CHRISTI. (At Cingliani negant, corpus Christi in terris esse.) Nam extra usum cum asseruatur in pixide, vt fit apud Papistas, sentiunt, non adesse corpus Christi: (neque Lutherus hoc sensit) Deinde, hanc institutionem Sacramenti sentiunt valere in Ecclesia: nec pendere ex dignitate Ministri & sumentis. Quare sicut Paulus ait, etiam indignos manducare Sacramentum: ita sentiunt, CORPVS CHRISTI & SANGVINEM CHRISTI PORRIGI ETIAM INDIGNIS & INDIGNOS SVMERE: (hoc omnes Cingliani negant:) vbi seruatur Institutio Christi: sed tales sumere ad Iudicium, vt Paulus ait: quia abutantur Sacramento, cum sine poenitentia & fide eo vtantur: (en, qui nam sint indigni: qui, videlicet, sine poenitentia & fide Sacramento vtuntur: Cingliani hos non indignos vocari dicunt: & aiunt, Paulum indignorum vocabulo non intelligere impoenitentes & infideles.) Ideo enim institutum est, vt testetur, illis applicari gratiam & beneficia Christi: illos inferi Christo, & sanguine eius ablui, qui agunt poenitentiam, & erigunt se fide in Christum. Haecenus formula Concordiae Vvittebergensis.

Quid est in hac formula, Sturmi, quod Cingliano dogmati patrocinetur? imò quid est inter praecipuas eius partes, quod non Cinglianismo repugnet? Cur igitur huius formulae toties facis mentionem, vt sub eius nomine Cinglianissimum



simplicioribus obtrudas? At (inquis aliquoties) in hac formula nulla fit mentio Ubiquitatis. Quid tum postea? si Bucerus eam tum impugnasset, sensisset Lutherum non elinguem, neque sine argumentorum neruis. Sed quia de Cœna Domini, non autem de Persona Christi: inter Lutherum & Bucerum agebatur: & Bucerus in hoc Articulo Cœnæ omnia concedebat, etiam impiorum (seu impœnitentium) manducationem: quid opus erat de Ubiquitate disputare? præsertim cum nulla argumenta probationis inferere, sed tantum sententiam suam de præsentia corporis Christi in Cœna recitare **N V D E** vellent: ita certè, vt ne quidem verba Institutionis (Hoc est corpus meum) inserta fuerint. Ergo ne Lutherus etiam hæc verba Christi (hoc est corpus meum) post illam factam Concordiam reiecit, & ad rem nihil pertinere iudicauit: quia formulæ non sunt inserta? An tu, Sturm, adhuc frontem habes? Tu ne es ille egregius disputator, qui miserum, scilicet, Pappum venatorem à duobus catellis nuper eripuisti: cum adeò insulse argumenteris, vt omnium propè Dialecticarum præceptionum oblitus videare.

Quare, Sturm, tuo Cinglianismo alios colores inducito: formula Vvittebergensis nihil cum tuo impio errore habet commune.

PERINDE autem vt Pontificij scriptores, cum testimonijs sacrarum literarum (ad suum institutum idoneis) destitui se intelligunt, confugere solent ad traditiones Apostolorum **NON SCRIPTAS**: ita tu Sturm, cum videas, te dictis Scripturæ neque nostram sententiam euertere, neque tuam confirmare posse, eò delaberis, vt ad traditiones non scriptas confugas: &ingas, Apostolorum successores in aures suorum auditorum insufurrasse veram & spiritualem de mysterijs diuinis (in primis verò de Cœna Domini) sententiam: quæ non quidem in Apostolorum scriptis sit expressa: sed

sed quæ à sanctis Patribus de manu in manum sit tradita. Sic enim scribis: *Clemens Alexandrinus Catechesium Magister* Pag. 105. fuit, alij etiam docuerunt: in aures Catechumenorum insusurrantes mysteriorum **MYSTICAM SENTENTIAM**: inde enim Catechismus dictus est: quòd **MYSTICVS** & spiritualis sensus ita auribus eorum insusurrabatur, vt ad cor hic sonus perueniret: vt ex corde exiens ad os perueniret, & fidei & spiritus sancti ductu ore Confessio fieret ad salutem, &c.

Et post folia non multa, inquis: *Panem enim Domini* Pag. 116. *sibus corporis percipimus, oculis videmus, manibus palpamus, lingua gustamus: sed ad aures non peruenit: & propterea ad animum usq; non ita pertinet. ITAQVE CATECHESSES NECESSARIÆ FVERVNT: & APOSTOLORVM TRADITIONIBVS OPVS FVIT, & auctoritates PATRVM subsidio venerunt: pastores PER SUCCESSIONES TEMPORVM relictis sunt, qui per aures animis nostris insusurrarent, quid sibi panis Domini velit: quid præsentet: quid præstet hic panis, hoc Sacramentum, hæc res sacra & sacrata, hoc est, hoc SIGNVM sacra & cælestis rei, à Domino institutum: vt res duas, panem & vinum oculis corporis, FIDE autem & ANIMIS fidelibus in mysterio corpus & sanguinem Domini INTVENTES, duas (inquam) has res manducaremus & biberemus: Spiritus sancti scilicet INTERVENTV.*

Quid audio, Sturmi? tu ne rursus ab expresso Dei verbo ad **TRADITIONES** non scriptas nos reduces? hoc cing est vera fidei nostræ fundamenta ostendere? An tibi non sufficit institutio cœnæ Dominicæ, à tribus Euangelistis & ab Apostolo Paulo tanta diligentia & fide descripta? An hoc non est Religionem nostram Pontificis **PROSDERE**? Si enim tuæ Catecheses illæ locum habere debent in negotio cœnæ Dominicæ, cur non etiam in cæteris con-

trouersis, quæ sunt nobis cum Romanensibus: Verbi gratia: de purgatorio, de inuocatione sanctorum, de Missæ sacrificio pro viuis et mortuis: & id genus alijs nugis Pontificijs: Nonne pater cœlestis dixit de vnigenito filio suo: **H V N C A V T** **D I T E?** Cur igitur hunc non audis, Sturmi, dicentem tibi: **H O C E S T C O R P V S M E V M?** Quid opus est istis insusurrationibus in aures? Talia ne sunt nostræ Religionis mysteria, quæ in lucem proferre nefas sit: qualia olim erant quædam ethnicorum sacra, quæ vel propter absurditatem, vel propter obscœnitatem occultabantur? Et, opus ne erat vt auctoritates Patrum doctrinæ de cœna Domini subsidio venirent? Quem articulum Religionis nostræ syncerum retinebimus: si neglecto expresso scripturæ textu, ad traditiones non scriptas nos conuertemus?

Audi igitur, Sturmi, Chrystostomum: an ille in contro- uersis Religionis nos ad traditiones, an verò ad scripturam, remittat. Is enim in Euang. Matth. cap. 24. Hom. 49. sic ait: Quare hoc tempore **O M N E S** Christiani conferre se **A D S C R I P T V R A S** debent. Quia in tempore hoc, ex quo ob- tinuit hæresis illa Ecclesias, **N V L L A P R O B A T I O** potest esse veræ Christianitatis, neque **R E F V G I V M** potest esse Chris- tianorum aliud, volentium cognoscere **F I D E I V E R I T A T E M**, nisi **S C R I P T V R A E D I V I N A E**.

Audi, Sturmi, etiam Hieronymum: is in Matthæum sic scripsit: **Q U O D S I N E A V T H O R I T A T E S C R I P T V R A E** dicitur, eadem facilitate contemnitur, qua dicitur.

Quare, Sturmi, cum tuis illis insusurrationibus, & in sacris literis minimè fundatis Cinglianis Catechesibus (assumptis vnâ etiam tuis mendacijs, calumnijs & blasphemijs, quas in doctrinam nostram synceram euoluisti) proripe te ad insulas infortunatas: aut, si mauis, ad Gangem & Euphratem: quò tu rixatores Theologos ablegandos censuisti,

DE

DE LIBRO CON- CORDIÆ.

Valde stomacharis, Sturmi, cum sex illis Theologis, qui iussu Electorum & Principum Formulam nouam Concordiæ (quam tu vnâ cum Cinglianis tuis, cane peius & angue odisti) conscripserunt. Et haud obscure insimulas eos temeritatis & impudentiæ, quasi sese vltro in re tanta, ingesserint, atque tyrannidem quandam in vniuersam Christi Ecclesiam affectarint: quasi aliorum vel neglectis vel etiam spretis sententijs & iudicijs, ex cerebro suo commenti fuerint, quod ipsis placuisset: quod deinde Formulam illam malis artibus, & per vim, Ecclesijs obtruserint, hodieque obtrudant. Itaque & in ipsos Formulæ authores, & in reliquos etiam synceros Theologos (qui id institutum vel adiuuerunt, vel saltem approbarunt) plaustra conuiciorum congeris, eosque infinitis penè calumnijs & contumelijs oneras. Idque fascis ex mera charitate Cingliana, tanta scilicet, modestia, vt situm scriptum in ipso Orco à latrante Cerbero dictatum esset, nihil ad summam acerbitatem & virulentiam accedere potuisset.

Recitabo igitur, simpliciter & candidè historiam, de Formula illa Concordiæ, quomodo conscripta, quomodo iudicata & expolita, quomodo denique subscripta sit. Inde manifestum fiet, an rectè in Theologos adeò sis debacchatus.

Ante annos decem & amplius, synceri quidam Theologi in superiore Germania, & in Saxonía inter se amicè contulerunt de via ac ratione, qua errores, qui hinc inde in Ecclesijs quibusdam serpebant, e medio rursus tollerentur, & Ecclesijs pia & sincera pax restitueretur, atque pius inter
synces

synceros doctores consensus publico aliquo scripto demon-
straretur. Varia autem inciderunt impedimenta, quæ illud
institutum remorabantur. Cum verò Illustrissimus Prin-
ceps ac Dominus, Dominus Augustus, Dux Saxoniae, Es-
lector, &c. animaduertisset, quot corruptelæ doctrinae coe-
lestis in Ecclesias (quorundam Theologorum astutia atque
technis) irreperent, tanto malo occurrendum ratus est. Et
confirmavit ipsius celsitudinem in sancto illo instituto, quod
videret, etiam alios quosdam Principes, pietate præstantes,
& Zelo diuino flagrantes, idem optare atque promouere in-
stitutum. Et certior factus erat iam Elector, de Theologo-
rum pio conatu: qui tamen ad effectum nondum peruene-
rat. Cum Principibus itaque secreto Elector Saxo consilia
contulit, atque communicauit: placuitque, vt Theologis qui-
busdam id negocij daretur, vt scriptis compositis viam ac ra-
tionem ostenderent, qua & errores excluderentur, & synce-
ra doctrina ad posteritatem transmitteretur, atque pia Deo-
probata Concordia Ecclesiis restitueretur.

Cumque Anno supra millesimũ quingentesimum septua-
gesimo quinto, eius rei iam fundamenta aliqua iacta essent:
tum demum Elector Saxo vocat ex Ducatu Vvirtembergis
co D. Iacobum Andreae, & quidem reuera præter ipsius ex-
pectationem: vocat etiam è Ducatu Brunsvicensi D. Marti-
num Chemnicium: ex Academia Rostochiana D. Dauidem
Chytraum: ex Electoratu Brandeburgico D. Andreã Mus-
culum, & D. Christophorum Cornerum: his adiungit è Sa-
xonia D. Nicolaum Selneccerum. His Theologis Torgæ
congregatis mandat Elector, vt lectis atque diligenter expen-
sis illis, quæ ad præparationem facta erant, scriptum compo-
nerent: in quo controuersie, quæ inter Augustanæ Confessio-
nis Theologos exortæ erant, explicarentur, ac vera & pia de
singulis controuersis sententia exponeretur, & sacris literis
confir-

confirmaretur: falsa verò confutaretur atque reiiceretur. Id factum est à Theologis illis magna diligentia. Quia verò, vt est in prouerbio, plus vident OCVLI quàm oculus, missum est ab Electore Saxone illud Torgense scriptum (quod tum CONSULTATIONIS titulum habebat) ad præcipuos Imperij Principes, Augustanam Confessionem profiten- tes: & petitum est, vt suis id Theologis proponerent, eor- rumque iudicia scriptis comprehensa expeterent: eaque ad ipsius Celsitatem perferri curarent. Et postulata sunt hac ra- tione aliarum Ecclesiarum iudicia, non modò consentientibus illis sex Theologis, verum etiam idipsum postulantibus & rogantibus.

Lectus est igitur liber ille Torgensis à multis præcipuis Germaniæ Theologis: & singulis locis, communicato consi- lio, annotata sunt quædam, quæ mutanda viderentur. Etsi enim, quo ad substantiam (vt vocant) synceri Theologi omnes libri articulos probabant: tamen quia quædam prolixius, quàm necessitas postulabat, posita erant, ea eximenda iudicabant: quædam copiosiore explicatione indigebant: alia qua verò mutanda videbantur, & commodioribus verbis ponenda: ne aut calumnijs occasio daretur: aut insynceris Theologis rimæ, in quibus suos errores occultare possent, vllæ relinquerentur. Et gratias egerunt passim synceri Theo- logi Deo Optimo Maximo, & Illustrissimis Electoribus & Principibus, pro salutari illo & pio atque valde necessario ins- tituto.

Quidam verò Theologi, qui aut occultè Cinglianis- mum, aut Synergismum in pectore fouebant, hodieque fouent, librum illum sugillabant: & ea etiam reprehendebant, quæ non reprehensione, sed commendatione, digna erant: præterea etiam in rebus leuioribus multa (nodum videli- cet in scirpo quærentes) carpebant: ea spe ducti, quòd suis callidis & astutis consilijs totum illud inceptum in nihilum

H

redigi

redigi posse confidebant. Et hi in synceri homines calumnijs suis hinc inde sparsis, etiam alios quosdam paucos Theologos ab hoc libro absterruerunt: de quibus tamen bonam spem concipimus, quod aliquando, & fortasse breui, ad nos sint accessuri.

Cum igitur Elector Saxo Theologorum de libro Torgensi iudicia accepisset: communicato rursus cum alijs Electoribus & Principibus consilio, eosdem illos sex Theologos Bergum (prope Magdeburgum) conuocat: iudicia Theologorum illis proponit: atque iubet, vt ea diligenter & in Dei timore legant, expendant, & quæ bene admonuissent reliqui Theologi, obseruarent: atque ita librum Torgensem absoluerent: ne quid in eo iurè à synceris Theologis desiderari posset. Paruerunt sex illi Theologi: & magna dexteritate, diligentia & fide, ea, de quibus bene monuerant reliqui Theologi, libro inserunt, eumq; iudicijs, quæ locum habere poterant & debebant, conformem faciunt. Non autem fieri potuit, vt omnibus satisfaceret, propterea, quod iudicia essent diuersa, pro ratione Theologorum, qui non idem in omnibus sentiebant.

Spero autem me lectori rem non ingrati facturum, si totius illius Formulæ summam breuissimis recenseam.

Complectitur Liber ille vndecim capita. In primo recitatur vera sententia de peccato Originali: quantum id sit malum: quod, videlicet, omnes homines reos faciat aeternæ damnationis: & quod ex hoc fonte omnia reliqua peccata & scelera scaturiant. Et reijcitur atque damnatur doctrina, quæ hoc peccatum extenuat: & ea, quæ peccatum esse ipsam hominis substantiam, asserit.

Secundum caput tradit veram de libero arbitrio, seu visibus humanis, sententiam: quod videlicet homo non renatus aliquam libertatem in rebus externis & politicis habeat: sed in

sed in spiritualibus, & quæ ad æternam vitam pertinent, hominem totum esse mortuum: vt suis viribus sese neque erigere neque restituere possit. Et damnatur eorum error, qui asserunt, hominem coactè peccare: & eorum, qui viribus humanis aliquid in conuersione hominis tribuunt.

Tertium caput est de Iustificatione fidei: in quo docetur hominem iustificari, hoc est, iustum reputari coram Deo, per fidem, propter meritum Christi fide apprehensum. Et reijcitur atque damnatur cum Pontificiorum, tum eorum error, qui Christum dixere nostram esse Iustitiam tantum secundum suam humanam naturam: & eorum, qui asseruerunt, Christum nostram esse Iustitiam tantum secundum diuinam suam naturam.

In Quarto capite agitur de bonis operibus: & docetur, quòd ea quidem certò sequantur veram fidem in Christum, vt fructus fidei: sed quòd tamen bona opera ad Iustificationem hominis coram Deo nihil faciant. Reijciuntur igitur propositiones illæ falsæ: Quòd bona opera sint ad salutem necessaria: Quòd impossibile sit, sine bonis operibus saluari: Quòd nemo vnquam sine bonis operibus salutem sit consecutus: Quòd bona opera ad salutem sint perniciofa.

Quintum caput ostendit proprium discrimen Legis & Euangelij, & docet, Legis officium esse peccata arguere, & iram Dei denunciare. Euangelij verò esse officium peccatores resipiscentes consolari, atque peccatorum remissionem annunciare. Et reijcitur error, qui Legem et Euangelion permiscet atque confundit.

In capite Sexto monstratur vsus legis diuinæ in hominibus iam renatis: quòd, videlicet, Lege admoneantur de ea obedientia & gratitudine, quam Domino Deo debent. Et reijcitur eorum error, qui Legem prorsus ad renatos nihil pertinere dicunt, eamq; tantum infidelibus & impœnitentibus proponendam affirmant.

Septimum caput complectitur doctrinam de substantia cœnæ Dominicæ: & docet, cum pane & vino in cœna Domini (quando Institutio Christi seruatur) exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi: à dignis quidem, ad fidei confirmationem, & vitæ spiritualis conseruationem, atq; alimoniam: ab indignis verò ad Iudicium. Et reiicitur atque damnatur dogma, quod veram corporis & sanguinis Christi in cœna præsentiam tollit.

Octauum caput agit de persona Christi. Docetur, quòd in Christo sint duæ naturæ, diuina & humana: quòd hæ naturæ personaliter ita sint vnitæ, vt nunquam separentur, nunquam misceantur aut confundantur, neutra in alteram transmutetur. Ex ea verò vnione hoc etiam consequi: vt diuina natura humanæ naturæ assumptæ suas proprietates res ipsa communicet: ita quidem, vt humana natura (propter vnionem personalem) non tantum dicatur, verum etiam sit verè omniscia, omnipotens, omnipræsens. Et damnatur Eutychnianismus, qui naturam humanam in diuinam conuertit: & Nestorianismus, qui duas naturas in Christo diuellit.

In nono capite docetur: Christum reuera ad inferos nostra causa descendisse, nobisque victoriam reportasse. Monet autem, ne de modo descensus Christi ad inferos curiosè inquiramus: eò quòd sacrae literæ ea de re nihil expressè definierint.

Decimum caput agit de cæremonijs in Ecclesia, quæ verbo Dei neq; sunt mandatae neq; prohibita: quas ἀδράφορα solent appellare. Et monet, etiam in rebus illis per se indifferentibus nihil posse concedi hostibus Euangelij: quàm diu illi Euangelion persequantur, nec sanam doctrinam recipiant: & eo modo agi iubet, ne infirmi offendantur, hostes cristas tollant, & libertas Christiana periclitetur.

Vnde

Vndecimum caput explicat Articulum de Prædestinatione Dei: eamque ita considerare docet, vt ex ea fides nostra roboretur, & offendicula mitigentur. Reijcit verò eam de Prædestinatione doctrinam, quæ homines vel ad desperationem adigit, vel in Epicurismum præcipitat.

Postremò summarie reijciuntur hæreses quædam eorum, qui Augustanam Confessionem prorsus non agnoscunt: Anabaptistarum videlicet, Suuenckfeldianorum, Ariano- rum, & Antitrinitariorum.

Hic liber cum eo, quo supra diximus, modo (post accepta Ecclesiarum iudicia) à sex istis Theologis absolutus esset: Illustriissimi Electores, Saxo & Brandenburgicus, datis ad reliquos Principes Augustanam Confessionem profitentes, literis, vnà singula singulis exemplaria misere: rogantes, vt ea cæteris Imperij Ordinibus communicarent, atque id operam darent, vt formula hæc Concordiæ à Theologis, & ijs qui Scholis præfecti essent, subscriberetur: si tamen prius Theologi & Ludimoderatores eam legissent, atque in timore Domini expendissent. Sic enim habent literæ Electorum, quæ in archiuis Principum & Ordinum Imperij hodie passim asseruantur.

Prompto animo hoc pium institutum reliqui Principes promouerunt: & exemplaria cæteris Ordinibus, qui singulis Principibus assignati fuerant, communicarunt: petentes, vt illi suis Theologis & Scholarum Rectoribus librum Concordiæ legendum, expendendum, deinde verò demum subscribendum proponerent. Nemo fuit coactus vt subscriberet: & datum est iustum spacium deliberandi: ne quis aliquid præcipitanter ageret, cuius ipsum postea pœnitere posset. Certè Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus Ludovicus, Dux Vvirtembergicus, &c. Dominus meus clementissimus, missis legatis, ab Ordinibus, suæ Cellitati assignatis,

ris, humanissimè petijt, vt librum illum Theologis & Scholarum Rectoribus proponerent, atque postularent, vt eum librum legerent, & subscriberent, si iudicarent, **EVM ET CVM SACRIS LITERIS, ET CVM AVGVSTANA CONFESSIO NE CONGRVERE.** Et vt spacium non modo legendi, verum etiam deliberandi Theologi haberent, singulis Ordinibus singula misit exemplaria: quorum describendorum etiam facultas ipsis data est.

Lectus est igitur liber iste, & post deliberationes habitas subscriptus est a Theologis & Ludimoderatoribus ijs, qui syncera doctrinae studebant atq; fauebant. Et pleriq; Deo & Magistratibus pro hoc salutari & necessario instituto gratias egerunt: quòd viderent, librum Concordiæ cum sacris literis & sana doctrina, quam ipsi hactenus docuerant, egregie congruere.

Huic verò libro duo hominum genera subscribere recusarunt: Theologi non synceri: verbi gratia, Calvinistæ, Flaccianini, & Synergistæ: & quidam Theologi nimium meticulosi, qui se improborum calumnijs à subscriptione deterreri sunt passi.

Nulli hominum hoc libro periculum vitæ est creatum. Quòd enim Illustrissimus Elector, Saxoniae Dux, vnum aut alterum hominem improbum, propter insignem perfidiam, aut libellos famosos, carceri inclusit: non hoc propter formulam Concordiæ non subscriptam factum est. Quidam verò Theologi, qui post multas admonitiones subscribere pertinaciter recusarunt, dimissi sunt: propterea quòd deprehensum esset, ipsos aut Calvinismo, aut Flaccianismo, aut Synergismo ita infectos esse, vt correctionem non admitterent: quorum tamen (qui dimissi sunt) admodum exiguus fuit, per totam Germaniam, numerus.

Postea verò etiam Præfatio libro præfigenda, Electorum, Principum, & Ordinum Imperij, Augustanam Confessionem

nam profitentium nomine scripta est, quæ totius huius Institutionis rationes complectitur. Et postquam approbata est, tandem liber ille Concordiæ cum subscriptionibus trium Electorum, Principum, Ordinum Imperij, & Theologorum in lucem prodijt: quod omnes boni & intelligentes homines magno desiderio, & multis votis, dudum expetiuerant.

Hæc ita gesta esse, testis est Deus Optimus Maximus: testes sunt Illustrissimi Electores, Principes & Ordines Imperij: & testimonium ad posteritatem etiam nostram dicent ACTA, quæ in archiuis Principum asseruantur.

Habet autem liber ille Concordiæ non modo controuersiarum dijudicationem, quæ supra paucis est recitata, verum etiam illi dijudicationi hæc scripta publica, & dudum in Ecclesia approbata, sunt adiuncta: Tria Symbola, Apostolicum, Nicænum, & Athanasianum: Augustana Confessio prima: eiusdem Apologia: Articuli Smalcaldici: Catechismi duo Lutheri, minor & maior: quæ testantur, quale doctrinæ genus & Illustrissimi Principes, & Ordines Imperij, & Theologi hæctenus amplexi sint, & in eodem perseuerare constanter cupiant.

Redeo nunc ad te, Sturmi: Quid tandem gestum est in hoc negotio, hominibus pijs, candidis, & honestis indignum? Qua igitur fronte audest tot conuictis proscindere innocentes homines Theologos, qui librum Concordiæ vel conscripserunt, vel approbarunt & subscripserunt? Vocas enim eos *Carcinomata Imperij: Iacobæa Carcinomata: FURIAS: Chrematistas: vipers, quæ nasci, hoc est, suas facultates augere, honores adipisci non possint: qui ad lucem & ad solem venire non possint: nisi parentes suos enecent.* Cur toties de *SICA Theologorum garris: eosque sicarios esse haud obscure significas? reque Theologorum telis & sicis expositum esse fingis? Quid de face Theologorum gannis? Cur vt asinos traducis, qui in Theologia*

Pag. 16.

Pag. 30.

Pag. 91.

Pag. 95.

Pag. 50, 82, 115.

196, 174, 140, 62.

173, 211, 214.

logia sexcenties te sunt doctiores: de quibus scribere audes: quòd sint loquaces in conuiujs: muti in congressionibus eruditorum hominum: susurrone in cubiculis.

Atq; ut præclara illa tua Cingliana modestia magis agnosci possit, Sturmii, & vestra charitas, quam vos Cingliani toties de vobis ipsis prædicare soletis, melius innotescat, recitabo etiam prolixiora encomia, quibus tu Lutheranos, hoc est, synceros Theologos ornas: in quibus ferè tot sunt mendacia, quot verba: tot calumniæ, quot lineæ.

Pag. 24.

Dicis enim: *Vt nunc SEX VIRI conantur Philippi monumenta suppressere: ita etiam sempiterna memoria paulatim Lutheri monumenta spoliabunt: (ò os: ò frons,) Vt ipsi soli sapere, videantur, & Regnum occupent.*

Pag. 25.

Pag. 15.

Pag. 89.

Pag. 108.

Pag. 63.

Dicis: quòd Confessionem Augustanam exterminent: quòd hoc agant, ut eam opprimant: quòd contaminent & condemnent Augustanam Confessionem: quòd sublatam velint Augustanam Confessionem: & ei suum Centonem anteponant. Ais: Theologos ad arma, ad cædes, & euersionem maximarum Rerumpublicarum affectare viâ.

Pag. 46.

Ais etiam: *Isti verò homines, contra omnem Comitiorum morem & consuetudinem, ius sibi condemnandi arrogat, & condemnationis formulam annos iam decem à paucis meditatam proferunt: & quòd maximum est, ANNO septuagesimo primo, IN HAC VRBE SVBSCRIPTAM: id quòd cum opus erit, quauis hora confirmare potero. Tu verò, Sturmii, hoc mendacium nunquam confirmabis: quomodo enim subscripta fuit formula, quæ tum nondum erat conscripta? De formula enim, quæ hodie extat, & subscripta est, nobis nunc est sermo.*

Pag. 91.

An non queam (inquis) animaduvertere, quæ, & qui, & quales sint, & quomodo ad hoc arbitrium peruenerint: quid agant, quomodo agant, quomodo suffragia prehensent, aucupentur, exprimant? Non obseruare liceat, quibus vtantur internuncijs? administris? adiutoribus? quibus mendacijs? quibus calumnijs?

Dee

Deinde alio loco de Theologis in hunc modum scribis: Si Pag. 131.
ad has duas sorores (iram et inuidiam) accesserit hypocrisis, cum religionis & virtutis falsa specie: si ea bonorum Principum animos occupet, & aures horum aperiat calumnijs: inde tum carceres, fuga, exilia, eiection bonorum, successio deteriorum, & veteris disciplinae, & nominis, & laudis conuersio. Vbi verò ad hæc accedant ἱεροφάνται clamatores sacerdotes, de mysterijs altè sapientes, & grandiloqui Oratores, & cum his conspirent ἰδρίμποροι & ἰδρονάπηλοι negociatores clerici: qui leges, quas velint, scribant, & leges, vt velint, interpretentur: vt illis periculum creent, pro quibus Christus mortuus est, &c.

Et post aliqua: Si Dictatorem quæris, consule vestram formu- Pag. 51.
 lam: non solum dictatores, sed etiam damnatores inuenies: qui non, vt tu in re seria nugaris, demant opinionem veritatis errori: sed qui professiones, munera, pastoratus, officia, stipendia, honore & vita cariorem existimationem, qui patriam adimant. Ibi Dictatores Syllanos reperies: qui innocentes, indicta causa, non auditos condemnent. Ibi inuenies, QVI OMNES ECCLESIAS SVA DICTATURA CONDEMNENT.

Denique sex illos Theologos Bergenses his verbis calum- Pag. 199.
 niaris: Patres pro Antichristo haberi voluerunt, qui se vniuersalem appellasset: quæ miseria Ecclesiarum futura esset hoc instituto, si vno tempore sex vniuersales existerent: quorum decretis esset obtemperandum: & in his vnus esset omnium dominus, inuentor & author nouarum Decretalium?

Et post aliqua: Ne quidem (inquis) legitimam conceditis Sy- Pag. 202.
 nodum: vt SOLIS VOBIS totius Europæ auctoritatem & ius Concilij arrogetis. Quando Patrum, quando nostra memoria istud factum aut concessum est: vt SEX VIRI totius Europæ talem, & tantam sibi usurparint auctoritatem?

Quis autem non videt, Sturmi, quanta calumniandi & mentiendi te libido incesserit: qui rem totam, vt gesta est, res etè nouerit? Itaq; iam tibi illud tuum occinam, homini mens
 I daci

daci & calumniatori : quod tu in me male torquere voluisti.
 Pag. 137. *Vbi enim mendacium (inquis) & vanitas : ibi Dei Spiritus nullum
 habet domicilium. Vbi vbi mendacem mihi ostenderit : madido, ut ger-
 manicè dicitur, digito in eodem homine Spiritum sanctum abesse de-
 monstrabo. Inter mendacium & Spiritum sanctum, tantum interual-
 lum est, vel potius maius spatium est, quàm inter verum & falsum :
 verum bonum, & verum malum. Quare, Sturm, cum, vel teipso
 iudice, Spiritus Domini bonus à te recesserit, dubium non
 est, quin Spiritus malus in eius locum successerit : non enim
 Luc. 11. solet hospitium vacuum relinquere : Assumpsit autem ille se-
 ptem alios Spiritus secum, nocentiores ipso, & ingressi habitant
 in te : & per ostium tot mendacia, tot calumnias, tot blasphemias
 (quot hæcenus audiimus & porrò audiemus) exhalant :
 itaque (nisi resipueris) extrema tua peiora fient primis : QVOD
 IVDICIUM DEI IUSTVM EGO TIBI IN NOMINE
 DOMINI SERIO DENVNCIO.*

A Theologis ad ipsam Concordiæ Formulam digrediemur, & quibus eam contumelijs afficias, videbimus : prius tamen ponendæ sunt tuæ toties iteratæ confessiones, quibus fateris, te Formulam istam (etiam hodie) nunquam vidisse, nunquam legisse : quod ego tibi iam incipio credere.

Pag. 59. *Quomodo (inquis) acerbus esse potui in eam rem (Formulam)
 quam non videram, non legeram : quam NE NVNC QVI-
 Pag. 76. DEM LEGI. Et post aliqua dicis : Qui ne nunc quidem
 Pag. 131. Formulam Concordiæ viderim. Idem alijs etiam locis affirmas,
 190. & ais : Formulam Concordiæ vestram, ut cum non vidi : cum Pappi
 Pag. 183. thesibus intercederem : sic NE NVNC quidem & NE HAC
 QUIDEM HORA mihi videre datum est : HOC adhuc
 temporis PVNCTO me istud celatis vestrum insigne Palla-
 dium. Hoc postremum mentiris, Sturm, vsque adeo vix pos-
 tes tria verba proloqui, quin mendacium admisceas. Tantum
 enim abest, ut Formulam celare cupuerimus, ut nihil magis
 in vos*

in votis habuerimus, quàm vt citissimè in lucem prodiret. Et tu, vanissime, si eam videre voluisses, potuisses eam apud tuos Neapolitanos fratres videre: & fortasse tibi eam etiam Argentinæ videndam commodare potuisset, qui tibi retulit, quid D. Pappus in Senatu Argentinensi dixerit. Quare hæc tua, Sturmî, AFFECTATA est & malitiosa IGNORANTIA.

Quanta autem, Sturmî, tua est temeritas, impudentia, impietas? qui de scripto Theologico non modò iudicare & pronunciare, verùm etiam id ipsum conuicijs obruere audes, quod te neque vidisse, neque legisse fatearis? neque enim vsu piam dicis, quòd ex fide dignis viris de ea referri audieris: etsi hoc etiam te non ab impudentia & temeritate (in re tanta) excusaret.

Age, Sturmî, colligam initio breuiora illa Formulæ epitheta, quæ tu in eam expuisti. Vocas enim eam: *Formulam* Pag. 43. *disidiosam: formulam immanem & monstrosam: deformem formulam: inuisam formulam: formulam discordis Concordiæ: insidiosam* Pag. 65. 90. *formulam Concordiæ: formulam, in qua sint monstra verborum: Grandinosam formulam.* Pag. 93. 94. 96.

Audiamus nunc atrociora, Sturmî, quæ tu in formulam illam innocentem scripsisti.

Quis sit (inquis) quòd Protestantium communis CONFESSIO, vnà CVM APOLOGIA, & cæteris monumentis, tam doctis, tam pijs, tam literatis, NOVA, nescio qua, NON CONFESSIO, sed CENSURA & condemnatione OPPRIMATUR? Nulla enim superioribus ætatibus tam crudelis, tam latè patens, tam diuturna animaduersione in OMNES OMNIUM HOMINUM ORDINES, in OMNIBVS GENTIBVS ATQVE NATIONIBVS FVIT: quæ cum hac poterit comparari: si subscriptionem isti homines obtineant.

Pag. 25. Et postea: Quid verò indignius, quàm Melanchthonis scripta opprimere? Augustanam Confessionem **REPUDIARE?** **NOVAM CONSCRIBERE?**

Pag. 29. Et post aliqua: Quæ (Concordiæ formula) probari nunquam poterit, absque veteris Confessionis **CONTUMELIA**: absque Principum mortuorum **IGNOMINIA**: absque aduersariorum **INFAMI GLORINATIONE**.

Pag. 63. In Formula Concordiæ affirmas, Sturmi, exterarum Ecclesiarum, exteros **REGES & REGNA** condemnari: nondum causa satis cognita.

Pag. 88. Cogitetis (inquis, vos Argentinenses) non posse vos ad huius formulæ subscriptionem accedere: **QUIN A SOCIETATE PACIS, ET PVBLCÆ RELIGIONIS RECEDATIS**.

Pag. 90. Dicis etiam, subscriptione formulæ denunciari **BELLVM** exteris Ecclesijs.

Pag. 91. Rursus non mihi (inquis) liceat considerare, hanc formulam non concordie viam esse, sed discordiæ: & maioris discordiæ, quàm unquam extitit: non deductam esse ex fontibus sacrarum literarum, **SED SACRIS LITERIS PLANE ESSE CONTRARIAM**: aduersariam **TRIBVS** maximis & sanctissimis **CONCILIIS**: **ABOLITRICEM AVGVSTANÆ CONFSSIONIS**: condemnatricem tot & aliumq; exterarum Ecclesiarum.

Pag. 101. Et post aliqua: Ista Sphinx (ais) atque Chimæra in se continet verborum & rerum, & sententiarum monstra: in qua **OMNIA** sunt Marcionis, & Valentini, & Arii, & Eutychis, & Nestorij, & Sabellij falsa & **IMMANIA** dogmata.

Pag. 107. Ex illo tempore (inquis) id quod scio, & fortassis aliquot annis ante istud tempus hæc formula concepta fuit: fortassis Elephas, quem adhuc parturiunt, aut fortassis Elephante monstrosius aliquod monstrum nascetur, duodecimo anno: cuius probostis nisi præscindatur, si
illam

illam extendet trans alpes, trans mare Balthicum, ultra Europam in
Asiam & Africam: VIRVS & potentiam, & CRVDELI-
TATEM suam explicabit.

Dic mihi, Sturmi, si tu esses incarnatus Diabolus, iamq̄
primū è stygia palude ascenderes, posses'ne horribilius blas-
phemare librum Theologicum: quem tamen nunquam te les-
gisse, ac ne vidisse quidem asseris? Audi igitur, Sturmi, Apos-
tolum Petrum, SENTENTIAM de te, tuiq̄ similibus, pro-
nunciantem: Hi verò (inquit Apostolus) velut IRRATIO-
NABILIA PECORA, naturaliter in captionem (genita) &
in perniciem: IN HIS, QVAB IGNORANT, BLASPHE-
MANTES, IN CORRUPTIONE SVA PERIBVNT. 2. Pet. 2.

Etsi autem hæc, quæ de Formula impiè & sceleratè
scripsisti, non ad Principes, sed ad Theologos pertinere fors-
tasse dices: tamen ostendam tibi iam, quàm sis in ipsos Ele-
ctores, Principes, & Ordines Imperij contumeliosus: quo-
rum præfationem irrides, & horrenda, sed tecta calumnia
(quam ego tibi suo loco mox in lucem producam) cons-
taminas.

Quid enim sibi hoc vult, quod ais: *Præfationis approbatio*, Pag. 123.
& *Formula subscriptio*, PVDORIS OPERCVLVM
EST. Vestrum (Argentinesium) est providere, vtrum inter
Prometheos, an inter Epimetheos numerari sit laudabilius. Quid?
volunt'ne Electores & Principes pudori suo consulere, hoc
est, curare, ne in re mala pudefiant, cum à cæteris Ordinibus
approbationem præfationis, & Formulae subscriptionem pes-
tunt? Num fallere de industria volunt eos, quibus cum agunt:
vt pudoris aliquo operculo opus sit? Et tibi, scilicet, illi sunt
Epimethei, hoc est, stulti (qui post factum demum consula-
tant) qui præfationem approbarunt, & Formulam Concordiæ
Theologis suis subscribendam proposuerunt. Sic tu com-
mendas Ordines Imperij?

I 3 Et quale

Pag. 185.

Et quale est illud, quod ais, *aliud esse in præfatione, aliud in Formula Concordiæ constitui?* Hoc vis dicere: Electores & Principes non legisse Formulam Concordiæ: aut si legerint, esse nihilominus tam stupidos, ut non animadvertant, Præfationem, quæ ipsorum nomine in lucem prodit, & Formulam ipsam, cuius subscriptionem magno studio hactenus procurarunt, INTER SE PVGNARE.

Pag. 175.

Hoc verò demum atrox crimen est, Sturmi, quod Electoribus & Principibus impingis, cum scribis: *Vos iusculo Præfatorio, Thyestea, nescio quæ, ossa absconditis.* Animadvertito, Sturmi, tuam vafriciem: cum ea, quæ Electores & Principes in præfatione scripserunt, à Theologis scripta fingis. At Electorum & Principum, atque etiam Ordinum reliquorum est ista præfatio, non Theologorum. Et à Theologis scriptam non esse, vel styluste docere potuisset, si eam legere voluisses. Neque Electores & Principes ea suo nomine in publicum emittunt, manibus suis subscribunt, & signis confirmant, quæ aut non legerint, aut non intellexerint. Nostri Electores & Principes, Deibeneficio, norunt, negotia Religionis etiam ad se pertinere. Itaque talia scripta ipsi legunt: ipsi expendunt: & tum demum approbant, aut, si quid displicet, improbant, & emendari iubent. Lutheri protestatio, cum contra Cæsareum edictum scriberet, & Cæsaris personam exciperet, locum habebat: quia Pontifices Romani negant, cognitionem controuersiarum Religionis ad Imperatores, Reges, & Principes pertinere: idèoque Edictum illud, quod de Religione erat sub nomine Cæsaris editum, verius Pontificis erat, quàm Cæsaris: quia Pontifex Cæsarem à dijudicatione talium controuersiarum arcebat: ipsius autem nomine & Maiestate abutebatur. Nostri verò Electores & Principes non arcentur à controuersiarum Religionis dijudicatione: sed humiliter rogantur à
Theos

Theologis, vt scripta ipsi legant, expendant, iudicent: & tum demum faciant, quod salua Dei gloria, & sana conscientia facere queant. Itaque frustrate D. Lutheri protestatione defendere conaris.

Videamus ergo, Sturmi, quid Thyeste tua ossa in iusculo præfatorio, hoc est, in Præfatione Principum abscondita, sibi velint. Seruius (scriptor, tibi, vt homini Grammatico, non ignotus) in 1. Æneidos sic scribit: Fabula hoc habet: Atreum & Thyestem germanos, cum dissensione sibi nocere non possent, in simulatam gratiam redisse: qua occasione Thyestes cum fratris vxore concubuit. Atreus verò filium epulandum apposuit: quæ Sol abominatus, ne pollueretur, aufugit. Hactenus Seruius. Quid sibi ista volunt Sturmi? Num Principes, vt sibi ipsi mutuo noceant, in gratiam simulatam redeunt? Num Præfatione Principum & Formula Concordiæ carnes humanæ vorandæ (& quidem maximè propinquorum) apponuntur? Num editione Formulæ Concordiæ tale flagitium committitur, à quo Sol ipse abhorreat, & ne polluatur, aufugiat? Accommoda tu, Sturmi hanc fabulam melius, si potes. Ad eone, virulentissime homo, superbus es, vt existimes omnes alios tam esse stultos & stolidos, vt istos tuos scorpionum venenatos aculeos videre & agnoscere nequeant?

Vehementer insuper succenses Electoribus duobus Illustrissimis, Palatino & Saxoni, quòd Academias suas ab hominibus Cinglianis purgarint: doles etiam, inter ministros aulicos haberi delectus: culpam omnem (si ea in re aliqua esset culpa) in Theologos confers: quasi Illustrissimi Electores aut non valerent iudicio in re tanta: aut ad eonegligentes essent, vt hoc totum onus in alios homines reijcerent: nec quid in scholarum & Ecclesiarum reformatione fieret, curarent. Sic enim ais: *Postulatum est Heidelbergæ à scri-* Pag. 35.
bis,

bis, à Consiliarijs, ab ipso Cancellario, qui quatuor Principum in Palatinatu Electorum Consiliarius fuit: si suis vti velint muneribus, stipendijs, commoditatibus: vt fateantur, impios, atheos, latrones, peculatores, adulteros, proditores, verum corpus accipere Domini. Quid verò postulatur? vt confiteantur, ore, hoc est, dentibus teri (ôte scelestum calumniatorem) corpus Domini: illud ipsum, inquam, corpus, quod in cruce suspensum est: istud ipsum corpus Domini *AB HIS CANIBVS*, quos iam nominavi, *DE NTIBVS MASTICARI*.

Pag. 77.

Postulo (inquis) id, nescio an mea causa: vt viuus vidensq; videam, quid primo anno isto euenturum sit: an vestra causa, vt statim sentiat, *ID PROXIME ABESSE* à vestra Republica: quod tribus nobilissimis Academijs accidit: in quibus apparet, qui eieci sint, & qui substituti, in qua calamitate nisi optimi Principes (hoc est, Sturmi, altera manu panem ostentare, altera manu lapidem ferre) sibi aliquot reseruassent: quid, oro vos, in istis tribus Academijs sani factum esset reliquum? Lipsia Bersmannum: Vviteberga Vvesembeccium habet, & pauci quidam cum his: & nisi essent, quae nam esset frequentia istarum Academiarum?

Et post aliqua: An non ista fient? videte quid iam diu in Saxonia factum sit, quid Vvitterbergae? quid Ienae? quid hisce proximis diebus Heidelbergae? & videte à quibus, à quibus, inquam, nostratibus? à quibus, inquam, vestris: antequam subscriptionem decreuistis. Heidelbergae non modò Theologi remoti sunt à suis functionibus, ex suis sedibus: sed etiam Iureconsulti, Medici, etiam iuvenes & adolescentes ex collegio sapientiae.

Miror autem, Sturmi, cur hoc factum reprehendas, quòd propter *PERTINACIAM* in falsa religione loco suo moueantur homines, qui nullam sanam admonitionem ferunt aut recipiunt: de quibus aliud expectari non potest, quàm vt per ipsos quàm plurimi seducantur, & falsis dogmatibus inficiantur. Si religionis causa neminem exautorandum

dum

dum censes: cur non clamabas, cum ante annos non ita multos, in loco mouerentur, qui Cinglianismum approbare nolebant? Dic mihi, Sturmi, an vicini tui Neapolitani fratres ferant secum Doctores, qui Cinglianismum improbent & impugnent? Profer mihi nomina eorum, qui Geneuæ aut Tiguri publicè profiteantur, aut in Ecclesijs doceant: & tamen Cinglianismum improbent. Cum igitur illi in publicis illis functionibus non ferant, nisi suæ religionis homines: quare obliquè accusas Electores Illustrissimos, quod ferre nolint in suis Ecclesijs & Scholis, qui contraria veritati cœlesti doceant, spargant, iuuentuti instillent, & quod aliqui nunc nondum facere possunt, paulò post certò sint facturi?

Quare cum idem in sua vera Religione asserenda & conseruanda faciunt Electores & Principes, quod alij in falsa Religione tuenda & propaganda faciunt: cur tu id illis vitio vertis, quod in ipsis (si rectè iudicares) commendare debebas? Quis enim ferat sciens lupum inter oues? Sed vos Cingliani neque exilio, neque carceribus eos, qui à vobis dissentiant in Religione, mulctare contenti estis: sed & vitam illis eripitis: & eos etiam, qui errorem reuocant, nihilominus supplicio extremo afficiendos censetis (sic enim sodalis tuus Beza scripsit:) ne in errorem recidant: bellum, scilicet, pharmacum & antidotum: sed admodum crudele: quale quid apud nostros, propter Religionem diuersam, consentiente Magistratu, factum esse, nunquam demonstrabis.

SCRIPSISTI, Sturmi, in prima quarti tui Antipappi facie, PRO EXTERIS ECCLESIIS: quasi quide earum salute multum sis sollicitus: & sæpe in tuis Antipappis clamitas, Ecclesias exteras damnari. Ais: *Hoc potissimum* Pag. 216. *tempore opus est Concilio, quo vos (Theologi Lutherani) classieum canere, & belligerare cruentis armis clam instituis. Et paulò*
K post:

pōtē : Idem dicunt ij, quos vos fratres vocare recusatis : quos condemnare instituitis : quos omnium armis & telis, quos rogis & flammis obijcere conamini.

Tu verò, Sturmi, impudenter, sed more tamen tuo, facis, cum hæc scribis. Nos enim ne lupis quidem, Cinglianis Doctoribus, tuis sodalibus, vitæ periculum creauimus vnquam, neque creare volumus : tamen si eorum errores & impietatem ex animo detestemur : & quomodo miseras ouiculas armis, telis, rogis, flammis obijcere conaremur ? At, inquires, vestris condemnationibus rogos Pontificiorum inflammatis. Mentiris, Sturmi. Pontificij enim **NON MINVS LVTHERANOS EXVRVNT, QVAM CINGLIANOS**, ijs locis, vbi Pontifex Romanus (sæuissima illa & crudelis bestia) plenum habet exercetq; dominium. Quare non condemnatio Cinglianismi est persecutionum causa : sed **PONTIFICIS ROMANI CRVDELITAS** : & quorundam etiam hominum intemperies : qui Religionis prætextu multa seditiosè faciunt : & tamen re ipsa tandem declarant, quòd non synceriores Religionem, sed maiorem in rebus politicis libertatem quæsierint. Exempla sunt odiosa : sed tibi tamen non ignota. Num, Sturmi, cum ante annos paucos in die Bartholomæi horrenda illa laniena in Gallia institueretur, in causa erat liber Concordiæ : qui nondum tum erat conscriptus, nedum in publicum emissus ? Quis ante annos triginta & amplius, illarum, quæ in Gallia tum feruebant, persecutionum causa fuit : num Theologi Bergenses ? num Liber Concordiæ ? Desine igitur nobis, & condemnationibus causam persecutionum adscribere.

Quòd autem neque Illustrissimi Principes nostri, neque Theologi istam sæuitiam Pontificiorum, quam Romanenses in multos innocentes homines exercent, approbent : audide hac re Principes in præfatione Formulæ Concordiæ ad hunc.

hunc modum loquentes : Ad condemnationes, reprobationes, & reiectiones impiorum dogmatum, & eius præsertim, quod de sacra cœna extitit, quod attinet : Hæ sanè in hac nostra declaratione, & controuersorum Articulorum solida explicatione & decisione, expresse & distincte, non solum eam ob causam, vt vniuersi sibi ab his damnatis dogmatibus cauerent, omnino proponendæ fuerunt, sed ob alias etiam quasdam rationes nullo modo prætermitti potuerunt. Sic vt NE QVAQVAM consilium & institutum nostrum sit, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in veritatem doctrinæ cœlestis sunt, MVLTOS VE ROMINVS TOTAS ECCLESIAS, quæ vel sub Romano Imperio, vel ALIBI sunt, DAMNARE. Quin potius mens atque animus noster fuerit, hac ratione fanaticas opiniones, & earundem peruicaces doctores & blasphemos duntaxat (quos in ditionibus, Ecclesijs, & scholis nostris nequaquam tolerandos iudicamus) palam reprehendere & damnare : quod illi errores expresso verbo Dei repugnent, & quidem ita, vt cum eo conciliari nequeant. Deinde etiam eam ob causam hoc suscepimus, vt pij omnes de his diligenter vitandis, monerentur. Nequaquam enim dubitamus, MVLTOS PIOS, & minimè malos homines, in ijs etiam Ecclesijs, quæ hactenus non per omnia nobiscum senserunt, reperiri, qui SIMPLICITATEM quandam SVAM sequantur, & NEGOCIVM quidem ipsum NON PROBE INTELLIGANT, sed blasphemias, quæ contra sacram cœnam (quemadmodum ea in Ecclesijs nostris secundum institutionem Christi dispensatur, & iuxta verba Testamenti ipsius magna bonorum omnium consensione docetur) euomuntur, nullo modo probant.

Magna etiam in spe sumus : illos, si recte de his omnibus doceantur, iuuante eisdem Domini Spiritu, immotæ

K 2 veritati

b. 5. fa. 2. in latino
exemplari Lipsiæ
excuso.

veritati verbi Dei, nobiscum & cum Ecclesijs ac scholis nostris consensuros esse. Et profecto Theologis, omnibusque Ecclesiae Ministris, imprimis hoc negocij incumbit, vt ex verbo Dei etiam eos, qui ex quadam vel simplicitate, vel inscitia, à veritate aberrarunt, de periculo salutis suae, ea, qua decet, moderatione doceant: & contra corruptelas mutant: ne forte dum caeci caecorum sunt duces, vniuersi periclitentur.

Quamobrem hoc nostro scripto, coram Deo & tota Ecclesia testamur, nobis *PROPOSITVM NVNQVAM FVISSE*, hac pia Conciliationis Formula, *MOLESTIAM* aut *PERICVLVM CREARE PIIS*, qui persecutionem hodie patiuntur. Quemadmodum enim Christiana charitate moti, in societatem doloris cum eis dudum venimus: ita à persecutione, & grauissima tyrannide, quae in miseros illos maxima exercetur, abhorremus: eamque ex animo detestamur.

NULLO etiam *MODO* IN *PROFVSIONEM INNOCENTIS ILLIVS SANGVINIS CONSENTIMVS*: qui haud dubie in tremendo illo Domini iudicio, ac coram tribunali Christi, à persecutoribus illis, magna seueritate repetetur: & hi sane tum tyrannidis suae grauissimas rationes reddaturi, ac poenas horrendas subdituri sunt. Hactenus Principes & imperij Ordines.

Pag. 90. I nunc, Sturm, &, tuo more, mentiare, *subscriptione Formulae EXTERIS ECCLESIIIS BELLVM DENVNCIARI.*

Quot enim millia hominum sunt in Belgio, in Gallia, in Anglia, in Heluetia, in Phrysia, à Romanensium impietate toto pectore abhorrentia? his pijs & bonis hominibus si tuae horribiles in Maiestatem Christi, & in coenam Domini blasphemiae recitarentur, an non eas essent detestaturi, ac de te

de te dicturi: Hoc profecto scelus, PUBLICITVS HINC
 DEPORTARI IN SOLAS TERRAS OPORTEBAT.
 Hosce ne, Sturmi, vnà tecum & cum impijs tuis socijs, LVS
 PIS IN GREGEM Domini CRASSANTIBVS condemnas Actor. 20.
 remus? Hos ne Pontificiorum armis, telis, flammis, obijce-
 remus? Falleris enim, si credis, omnes bonos in Gallia, Bel-
 gio, Anglia, Heluetia, & Phrysia tecum sentire. Hisce enim
 proximis diebus Theologus, Ecclesiæ in celebri Orientalis
 Phrysiæ vrbe Minister, vir doctus, ad me literas dedit, mi-
 hiq; gratias egit, quòd tuam insolentiam primo meo Antis-
 turmio retundere ausus fuerim: Iniuriam enim te facere Ec-
 clesijs in Phrysia, quòd eas Cinglianismi insimules, easq; à
 tuis partibus stare dicas. Epistolam amicis monstraui: si du-
 bitas, veni & fide: exhibebo tibi ipsum ἀντὶ ὄραφου.

Quare, Sturmi, tum rectè EXTERIS ECCLESIIIS
 consuleres: si eas moneres, cauerent à lupis, Cinglianis blas-
 phemis doctoribus: & si à tuis hisce impijs scriptionibus, quib-
 us Ecclesias Christi perturbas, non ædificas, te abstineres: &
 res tibi demandatas curares.

MVLTVS ES etiam, Sturmi, in Synodo postulanda. Et
 fingis Theologos, qui Cinglianismo aduersantur, vehemens-
 ter sibi à Synodo aut Concilio metuere. Refers ex Paulo Io Pag. 211.
 uio, cur Concilium Romanis Pontificibus sit formidabile:
 eò, quòd interdum Pontifices se Pontificatu abdicare cogantur:
 mox subiungis: *Hunc etiam exitum vos extimescitis: & eò
 magis: quòd Pontifices MAGIS INSTRVCTI SVNT
 A DOCTIS ET ERVDITIS HOMINIBVS:
 quàm VOS IN VESTRO GREGE HABEATIS:*
 (Inunc, Osiander, & insimula Sturmium, quòd Pontificijs
 aduletur:) *QVID ENIM HABETIS? circumspice
 quæso: QVID VIDES IN ISTO CONCI-
 LIABVLO?*

Tu verò, Sturmī, luculentam nobis facis iniuriā. Neque enim tuam, neque cuiusquam Cingliani, aut alterius hæretici ERVDITIONEM & ELOQVENTIAM (si quæ in vobis est) metuimus. Scimus VERITATEM esse INVICTAM: Et nouimus, non de eruditione, sed de veritate in Synodis tractandum esse. Memores sumus etiam illius promissionis Christi, cum dixit: Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Meministi etiam haud dubie: quomodo simplex quidam senex, Euangelij confessor, tempore Concilij Nicæni cum Philosopho de Religione Christiana quàm simplicissimè disputarit, eumque ita conuicerit, recitatione saltem veræ & cœlestis doctrinæ: vt Philosophus ne verbum quidem amplius contradicere potuerit. Et nondum ita elumbes sumus, Dei beneficio, vt non cum tuis Cinglianis congredi audeamus.

Sozom. hist. Eccl.
cl. lib. 1, cap. 18,
fol. 557.

Itaque, si Illustrissimus nostris Principibus necessarium, atque ex vsu rei Christianæ esse videbitur, vt Synodus celebretur: & homines idonei ad eam euocati fuerint: non modo (si vocati fuerimus) vt assessores comparebimus: verum etiam parati sumus, de dictis, scriptis, & factis nostris coram tota illa Synodo rationem reddere.

Quare autem Illustrissimi Principes non censuerint differendam esse controuersiarum dijudicationem vsque ad Synodum, graues fuere causæ: quarum aliquas recitabo: vt intelligi possit, & sapienter illos egisse, & te vehementer desipere.

Animaduenterunt illi, qui fuerint aliquorum colloquiorum exitus: quòd videlicet vtrinque fuerit discessum maiore aliquantò animorum distractione, quàm Theologi conuenerant: talis expectari potuit finis Synodi: vt minus inter
Theos

Theologos conueniret, quàm vnquam antea. Interim verò Cinglianismus longè lateque, vt funestum quoddam incendium, grassaretur: dum inter omnes Theologos ita conueniret, vt Cingliani satisfactum sibi esse dicerent. Talem enim etiam tu, Sturm, Synodum postulas, in qua (in negotio de Cœna & de persona Christi) *post sacra Biblia PROXIMUM locum haberent authoritates primæ, eruditæ & impol- lute antiquitatis. Vt COMMUNI OMNIVM CONSENSV certa forma verborum conciperetur: bonorum scilicet, & rectè sentientium: qua vtendum sit in tanta sententiarum & opinio- num diuersitate.* Pag. 97.

Quot, obsecro, Sturm, hîc rimas inuenires, per quas tuus Cinglianismus elaberetur, atque damnationem effugeret? Donec enim dicta Patrum conciliarentur: quorum alia nobis perspicuè suffragantur: alia vobis aliquid concedere vis dentur: quantum temporis elaberetur? Donec COMMUNI OMNIVM CONSENSV formula conscriberetur: quantum temporis periret? Donec constitueretur in Synodo, qui nam essent illi boni & rectè sentientes, quorum vota sequenda essent: quantum temporis perderetur? nihil enim de sumptibus dicam, quorum in re tanta nullam rationem habendam censeo. Hoc tantum ostendere volui, te tuosque hoc agere, vt Cinglianismus tam diu liberè in Germania, non modò serpat, verum etiam grassetur, donec COMMUNI CONSENSV OMNIVM de forma certa verborum conueniret: quod tu nosti futurum AD CALENDAS GRÆCAS. Non igitur hoc agitis, vt legitima Synodus celebretur: sed hoc postulatis, vt vobis liceat Cinglianismus vestrum in omnes orbis angulos effundere.

An putas ignorare Illustrissimos Principes, quales hodie multi sint hinc inde Theologi: quorum alij Cinglianismo occultè infecti sunt, alij Synergismo: quidam etiam Flaccianismo.

mo. Hos si Illustrissimi Principes à Synodo excludere ve-
 lint: clamabis, optimos, doctissimos, & praestantissimos vi-
 ros (tuo quidem peruerso iudicio) à Synodo excludi: & con-
 tra talem Synodum mox excipies atque protestaberis. Sin vo-
 centur, & in Synodum recipiantur: alius Synergismum, alius
 Cinglianismum, alius Flaccianismum damnari non feret.
 Quis tum illam OMNIVM CONSENSV COMMV-
 NI formulam conscribet? Et qui suam sententiam apertè pro-
 fiteri non audebunt, inuenient tamen aliquid causæ, cur con-
 sensum impediunt. An putas vestras artes nobis esse igno-
 ritas? Cur Sturmi, vos Cingliani non postulastis Synodum
 anno trigesimo? quando Augustæ Vindelicorum (peculiari
 oblata Confessione) coram toto Imperio Romano, à nobis
 dissentire re ipsa & publicè testati estis? Sed tunc inter centum
 Theologos Germaniæ vix vnus erat Cinglianus: si tamen:
 tunc nemo erat, qui Synergismum profiteretur aut defende-
 ret: nullus erat, qui Legem cum Euangelio confunderet: tum
 vobis, scilicet, nihil opus erat Synodo. Intelligebatis, si ad Sy-
 nodum ventum esset, damnatum iri vestram sententiam.
 Nunc, postquam in multis Scholis Professores Cinglianis-
 mum olent: postquam multi Theologi eundem in sinu oc-
 cultè fouent, & per literas vobis colludunt: vt de eorum sen-
 tentiis nihil dubitetis: postquam animaduertitis, Cinglianis-
 mum sedere in Senatorum subselliis, & habere locum apud
 multos aulicos: iam Synodum postulatis. Quod quanta æqui-
 tate faciatis, iudicet totus orbis.

Confirmati sunt Illustrissimi nostri Principes, Dei bene-
 ficio, ita in sua conscientia, vt non expectare necesse habe-
 ant, donec in Synodo statuatur, quid de Cœna Domini sit
 sentiendum: & iudicant, subditos, si illis salus sua cordi sit,
 de eodem negocio etiam rectè statuere posse. Extant enim
 verba Christi: HOC EST CORPVS MEVM: HIC EST
 SANGVIS

SANGVIS MEVS. Quare rectè existimant, vestrum errorem, qui cum his apertissimis verbis Christi è diametro pugnat, rectè damnari posse & debere: ne altiores radices agat.

Et quia frequenter Patrum scripta in ore habes, & multum te ipsis tribuere simulas: audi Augustinum de necessitate Synodi in damnandis erroribus differentem: cuius verba ad nostra hæc tempora, & ad præsentem de Cœna Domini controuersiam ita quadrant, vt melius certè quadrare non possent: id quod tibi insertis breuibus explicationibus ostendam. Is Tomo VII. contra duas Pelagianorum epistolas sic scribit: Quid ergo est, quod (Pelagiani) dicunt, de simplicibus Episcopis sine congregatione Synodi, in locis suis sedentibus extorta subscriptio est. (Sic vos Cingliani dicitis: à simplicibus pastoribus & Superattendentibus sine congregatione Synodi subscriptio libri Concordiæ partim blanditijs impetrata, partim minis extorta est.) Nunquid beatissimis, & fide Catholica excellentissimis viris, Cypriano & Ambrosio, ante istos aduersus istos extorta subscriptio est? (Sic nos: Nunquid sanctæ memoriæ præstantissimis viris, qui in Conuentu Smalcaldico conuenerunt, & doctrinam pugnantem cum Cinglianismo, subscripserunt, extorta est subscriptio?) Qua (subscriptione) eorum impia dogmata tanta manifestatione subuertunt, vt, quæ contra eos manifestiora dicamus, vix nos inuenire possimus. Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur: (Sic nos: Aut verò congregatione Synodi opus erat: vt aperta hæresis damnaretur: quæ verbis Christi: Hoc est corpus meum, impudenter contradicit.) Quasi nulla hæresis aliquando, nisi congregatione Synodi damnata sit: (hoc tibi, Sturm, ex ipsis sacris literis demonstraui: sed tu cauillatus es: non autem ad rem respondisti;) cum potius rarissimæ inueniantur, propter

L

quas

30 quas damnandas talis necessitas extiterit; multaque sint atque
 30 incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic improbari,
 30 damnarique meruerunt, atque inde per caeteras terras deuis
 30 tandae innotescere potuerunt (hoc ex Epiphanio tibi probas
 30 ui: sed tu nihil ad rem contra attulisti.) verum istorum super
 30 bia, quae tantum sese extollit aduersus Deum, vt non in illo
 30 velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam
 30 captare intelligitur, vt propter illos Occidentis & Orientis
 30 Synodus congregetur. (Sic nos de Cinglianis recte dixeris
 30 mus: Verum istorum superbia, quae non vult captiuam du
 30 cere suam humanam rationem in obsequium Christi, sed po
 30 tius in Philosophiae cognitione, & in acumine humanae rationis
 30 gloriari, hanc etiam gloriam captat, vt propter illos Occiden
 30 tis & Orientis Synodus congregetur.) Orbem quippe Ca
 30 tholicum, quoniam, Domino eis resistente, peruertere ne
 30 queunt, saltem commouere conantur: cum potius vigilantia
 30 & diligentia pastoralis post factum illis competens sufficiensque
 30 iudicium, VBI CUNQUE ISTI LVPI APPARVERINT,
 30 conterendi sint: siue vt sanentur atque mutantur: siue vt ab
 30 aliorum salute & integritate vitentur. Haecenus Augusti
 30 nus: qui ita apte tibi respondit, Sturmi, postulanti Synodum,
 30 in re tam plana & manifesta, ac si Cinglianos totos optime
 30 nouisset. Cum eo igitur de Synodo impetranda rixari tibi li
 30 cet, quamdiu libet.

Toties in tuo quarto Antipappo, nos obtundere vis au
 thoritate Philippi, in hac etiam re, quod, scilicet, Philippus
 Synodum postulauerit. Audi igitur Sturmi, quid ea de re
 30 Philippus ad Brentium scripserit. Fortassis (inquit) suspi
 30 cantur aliqui, NOS CVM SYNODOS DISSVA
 30 DEMVS, METV IVDICIORVM NOS NO
 30 STRAE TRANQVILLITATI CONSVL E
 30 RE: ideo nos purgaui in literis ad Ducem Christophorum
 scripse

scriptis, &c. Vale, Torgæ, mense Februario. Vides ergo, Sturmi, quod etiam Philippus Synodum dissuasit. Quod si forte ad alios diuersum scripsit tibi eum relinquo excusandum: mihi satis est demonstrasse, Philippum improbasse Synodi congregationem.

Vide autem, quales assessores in tua illa præclara Synodo habere velis. *At si (inquis) ad Synodum veniretur: plerique omnes* Pag. 209. *ex istis reijcerentur.* Loqueris autem haud obscure de præcipuis hodie in Germania Theologis, cum Ubiquitariorum ibi facis mentionem. Deinde expressis verbis reijcis à Synodo Ibidem. D. Iacobum Andreae. D. Davidem Chytraum. D. Andream Musculum. D. Martinum Chemnicium: quid verò de clarissimo viro D. Ioanne Marpachio sentias, satis in tuo quarto Antipappo prodidisti.

Et hoc loco insigni malitia verba primi mei Antisturmiij corrumpis & deprauas. Cum enim tu in Antipappis prioribus tales requisuisses controuersiarum Religionis iudices Theologos, in quibus odij, ambitionis, libidinis, ne quis dem esset *SUSPICIO*: responderam ego: Tales Theologos iudices requiris, quos in charta depingere, quàm in terra *MULTOS* reperire sit *FACILIS*: hinc tu calumniator & falsarie, Sturmi, omissa vocula (*MULTOS*) totam meam Pag. 210. sententiam malignè deprauasti: & ne parùm calumniatorum ageres, denuò meam sententiam peius corrumpis quàm antea, cum scribis: *Tu verò Theologus & Magister in Ecclesia* Ibidem. *Dei, aut NVLLVM aut rarum Episcopum esse putas: in quo non aut avaritia, aut ambitio, aut odium aliquod INSIT.* Ego negaram multos facile reperiri, in quibus non esset aliqua suspicio: & causam addidi: quòd vos Cingliani sitis suspicaces in malum, etiam sine iusta causa: tu verò mentiris, me dixisse, nullum aut rarò aliquem inueniri Episcopum, in quo non ambitio, avaritia, aut odium *INSIT.* Hinc, Sturmi,

mi, non fecisti officium BONI VIRI, sed veteratoris & falsarij.

Cum autem synceri Theologi, qui hodie in Germania ceteris sunt aliquantò celebriores, tibi Sturmio non placeant: qua de causa iam sunt (tua quidem sententia) à Synodo arce cendi: quos igitur obsecro, in eorum locum substitues? De hac re audiemus tuam Nestorianam (Nestoream dicere volebam) sapientiam & eloquentiam. *Non Apostolos* (inquis) *flagitamus: non Patriarchas: non Euangelistas: non veteres Prophetas requirimus, qui haberi non possunt:* (nisi tibi Sturmio, forsasse mulier illa Pythonissa in Endor Prophetam Samuelem reducere velit, ut eum de Cinglianismo tuo consulas:) *aliquos* (inquis) *desideramus, qui ISTIS SEX SINT MAGIS IDONEI: quos inueniri MINIME DIFFICILE EST:* (rem magnam dicis, Sturmie, si veram: sed ubi sunt illi docti tui viri?) *in Anglia,* (ubi plerique doctores sunt ex professo Cingliani:) *Gallia,* (ubi regnant inter Hugos notos Cingliani:) *in Dania:* (quam Cinglianismo infecit D. Nicolaus Hemmingius:) *in tota Germania:* (si nimirum ex omnibus angulis, praesertim verò ex Neapoli, congregentur Cingliani.) Haud stultè sapis, Sturmie, si istud sapere est: tales vis undique conquirere assessores (exclusis synceris & praecipuis Germaniae Theologis) qui haud dubie pro tuo Calvinismo pronuncient, eumque non modò ab haereseos crimine absoluant, verum etiam ad astra vehant, & in orbem terrarum suis decretis effundant.

An verò Sturmie, insanos credis Illustrissimos Principes, ut tuis hisce iniquissimis postulatis assentiantur? Quis non videt, quàm iniqui, quàm impudentes sitis in petendo, quod concedere nemo possit, nisi veritatem caelestem vobis prodere velit? Quare Sturmie, proripe te cum tua Cingliana Synodo ad Insulas infortunatas. Si enim Illustrissimi Principes

pes

pes Synodum necessariam esse iudicauerint, absque tuo consilio, de tempore, personis & loco deliberabunt, statuentque, quod se dignum sit, atque ad Ecclesiae Dei aedificationem salutare & accommodatum. Nos Synodum legitimam, ex Theologis synceris collectam, non subterfugimus, neque extimescimus.

DE PERSONA OSI- ANDRI ET STUR-

M I I.

NISI tu, Sturmi, falcem tuam in alienam messem misisses, atque in Librum Concordiae, in Principes & Theologos prioribus illis tuis Antipappis multa petulanter scripsisses, nunquam certe in te stylum strinxissem. Ego enim ante ea tempora te alium credidi, quam postea sum expertus. Itaque cum ante sexennium Illustrissimus Princeps, Dux Vvirtembergicus, Ludouicus, Dominus meus clementissimus, Argentinæ te ad prandium vocari curasset, gratulabar mihi, quod occasionem te alloquendi haberem: sed tu, dum ego mensam pro more consecrarem, ante prandium (vifo e regione D. Marpachio) te domum rursus proripueras: cumque iubente Illustrissimo Principe in tota domo Clarissimi viri D. D. Ludouici Grempii, (etiam in nostra mensa) quaesitus esses: nusquam reperiebare: tanta erat tum Charitas tua Christiana. Verebaris enim, ne tibi forte in mensa Principis, sedendum esset prope Marpachium, quo cum tibi similtates tunc fuisse, postea comperi: quanta nunc sit tua Charitas erga omnes Ecclesiae ministros, qui Cinglianismo non fauent, tui Antipappi loquuntur.

Etsi autem multa contra meam personam mendacia &

L 3

conuiz



conuicia congersisti : tamen si de sola mea persona , & non etiam de authoritate mei ministerij ageretur : profectò iudicasset illas tuas quantumuis virulentas nugas responso prorsus indignas. Sed quia non tam me , quàm meum ministerium calcibus procaciter impetis : abstergam quod in me lustrum coniecisti. Et simul te melius & propius agnoscendum, in lucem producam : vt viri boni & intelligentes apud se statuere possint , an posthac (reuelata iam tua leuitate & impietate) tibi liberos suos formandos committere debeant. Video enim te per multos annos multum damni in Ecclesia Dei occultè dedisse : id quod experientia magis magisque docet , & porro docebit.

Pag. 136. 205. Fingis autem Sturmii, me non esse authorem primi Antisturmiij, quem edidi: dicis, *D. Pappum mihi coxisse istas pappas: me non meum, sed Pappi Antisturmium ad mercatum misisse.*
Ibidem. Et inquis: *Aio te Antipappos meos ne tum quidem legisse, cum Francofurtum deportarentur: INTRA DECIMUM DIEM & librarius EXCV DIT: & tu descripsisti Antisturmium.* Hoc, Sturmii, est luculentum mendacium: & vt id refellam, recitabo breuiter & simpliciter, vt res gesta est.

Excudit librarius tuos Antipappos in vere, anno septuagesimo nono : sed illi palam tum non fuere distracti aut venditi. Alius autem Cinglianus alij occultè eos communicauit : ita vt multus quidem de ijs esset sermo , ego verò exemplar nancisci non possem. Vester enim Cinglianus Spiritus sanctus non aperte in specie columbae aduolare solet : sed latet in herba : & paulatim serpit ad arborem scientiae boni & mali , atque spiris suis ad eam se applicat. Postea cum ante festum Ioannis Baptistae nuptijs Tubingae interesssem , à prandio amicum domum reuertentem comitabar: atque in eius musæo incidi in tuos Antipappos typis iam excusos : rogo vt mihi eos per aliquot dies communicet : negat se id facere posse.

ANTISTURMIUS ALTER. 87

posse, propterea quod eos ab alio amico accepisset commo-
 dato: qui & ipse a tertio sumpsisset mutuò: ego nihilomi-
 nus eos mecum aufero, sanctè promittens (quod & præ-
 stiti) me redditurum. Stutgardiam reuersus primò cura-
 sim perlegi: secundo diligentius relegi, & in charta, ea ad-
 quæ respondendum putabam, consignauit: postea & An-
 tipappos tuos & mea annotata in fasciculum colligata, res-
 posui: inscripto nomine STURMII. Neque cum vlllo mor-
 talium de ea re, quid factururus essem, contuli: neque vllas à
 D. Pappo literas accepi, priusquam Antisturmius meus iam
 Francofurtum esset allatus. Tum enim quintum veteris
 Testamenti Tomum in manibus habebam: qui mihi mul-
 tum laboris exhibebat, propter eam, quæ in Prophetis ex-
 plicandis est, difficultatem: itaque verebar, ne mihi tempus
 ad absoluendam illam explicationem deesset, si ad tuos An-
 tipappos (nondum absoluto Tomo quinto) responderem:
 & sperabam aliquem alium in aciem contra te progressu-
 rum: vt ego scriptioni superfedere possem. Comitatus sum
 interea Illustrissimum meum Principem, Ducem Ludouic-
 cum Vvirtembergicum, ad venationes euntem: atque nihil-
 ominus (tametsi singulis septimanis ternas conciones, pro-
 more, haberem) in explicandis Prophetis, pro mea tenuita-
 te, elaborauit: eamq; interpretationem mense Augusto, cir-
 ca festum Bartholomæi, die Saturni ante cœnam absolui.
 Die Solis post habitam concionem, reliquum diei quieui.
 Die Lunæ in manus sumpsit tuos Antipappos, & mea anno-
 tata ex illis excerpta: dispositionem responsi delineauit: & an-
 te prandium cœpi Antisturmium scribere. Altera die, quæ
 fuit Martis, post habitam concionem redi ad Antisturmi-
 um. Vespere à cœna, & quidem serò, inexpectatus venit D.
 Iacobus Andreae: Ibenhusium enim, vsurus ibi acidulis,
 proficiscebatur. Cumque illi, pro ratione temporis, mensa esset
 ser ap.

set apposita, dum ille in meo conclavi cœnaret, recitavi illi vnam aut alteram pagellam Antisturmi; nullum ille verbum addidit: nullum expungere iussit. Tertia die ante prandium noluit ille me conuenire: ne mihi impedimento esset. Postea pransi sumus: à prandio ille statim Ibenhusium est profectus: ego verò ad meum Antisturmium sum reuersus: eumque paulò ante cœnam absolui. Quarta die, qui fuit Iouis, eundem Illustrissimi mei Principis Secretario intimo, Melchiori legero, viro ornatissimo, Latinæ, Græcæ atque Gallicæ linguæ vltra mediocritatem perito, & sincerae doctrinæ studiosissimo, inspiciendum tradidi. Altera die (is erat dies Veneris) missus est Antisturmius Tubingam ad Typographum: qui statim prælo eum commisit, & excudit: ita vt in nundinis illis Francofordiensibus in lucem prodiret: id quod fortasse tibi, Sturmio, præter expectationem euenit. Hæc ita gesta esse, nouit Deus Optimus Maximus: nouit Dominus Melchior Iegerus, Illustrissimi Ducis Vvirtembergici Secretarius intimus, & Consiliarius: nouit ornatissimus vtriusque Doctor Paulus Constantinus Phrygio, Celsitatis eius Medicus: qui à latere meo (dum Antisturmium scripsi) non discessit: vnum enim conclaue (vt semper in peregrinationibus fieri solet) nobis ambobus datum erat.

Vide nunc, Sturmio, quot & quanta tua mendacia simplici hac rei gestæ recitatione sint confossa: quæ tu de descriptione mei Antisturmi; libro tuo inseruisti.

Quanta autem sit tua mentiendi & calumniandi libido, vel ex eo manifestum est, quòd mihi cognomen meum exprobras. Sic enim in tuo Quarto Antipappo es fabulatus: *Pag. 146. Patris tui nomen & cognomentum, vt accepi, adolescentulo fuit, Hosen Enderle. Hosiandrum sese appellauit: (mentiris, Sturmio: nunquam enim Hosiandrum, sed Osiandrum se appellauit: ablata autem litera H omnes tuæ, quæ sequuntur, nugæ in fus*

in fumum abeunt:) sanctum virum se cognominavit. Quis Theophrastus ex tam vili stirpe posset talem quintam naturam extrahere? quam Pater tuus ex tam sterili germine? Hosiandrum sese nominavit: sancti viri sibi cognomen usurpavit: paternum nomen extinxit: (mentiris, Sturmi: profer autem, si vir bonus es aliud paternum nomen, quod sit extinctum:) hac coctione novum tibi & familiae tuae praclarum inuenit cognomentum. Memiserum (inquis) vespertilionem: si cum hoc honorifico stemmate comparer: quid tam dissimile, quam CALIGA & SANCTITAS? & Andreolus, & viri sanctitas? an non istud est ex homine propè Deum facere: & supra humanam naturam sese extollere? O os: ô frons. In me per ignominiam nomen, ut putas, contumeliosum quaesivisti: cur non tui & patris tui in mentem venit? Itaque tu duplici nomine impudens: qui & Patris falsum & gloriosum cognomentum usurpas: & mihi ignominiosum & contemptum, excogitasti. O os: ô frons: si modò aut Patri fuit, aut tibi est frons vlla: legisti enim, quibus Augustinus scribat, frontem esse nullam. Haecenus Sturmius.

Hæc omnia tua, Sturmi, mendacia & conuicia, simplici, breui, & vera historica narratione iugulabo. Habuit Pater meus patrem Andream Osiandrum, fabrum ferrarium, qui in Guntzenhausen, oppido Franciæ Orientalis, totos triginta annos Senator, sæpe etiam Consul fuit: tenuis quidem fortunæ, sed bonæ famæ, & non vulgaris inter suos authoritatis. Huic præter parentem meum fuere filij alij duo, Georgius Osiander, qui immatura ætate mortuus est, & Ioannes Osiander, quem pater artem fabrilem docuit: hunc ego Ioannem Osiandrum, fabrum ferrarium, sæpe Norimbergæ vidi: cum ille parentem meum animi gratia quotannis ferè visitaret: is etiam in ædibus parentis mei, sexagenario maior, piè in Domino obdormiuit. Parentis mei avus fuit agricola in pago, non procul à Guntzenhusio oppido:

M

huic

huic nomen fuit Conrado Osiandro : neque hic Conradus, neque ipsius filius Andreas, faber, literas vllas didicit. Vnde autem illis hoc cognomentum sit, nouit Dominus : ego certè ignoro. Quære autem, Sturmi, ex ciuibus Guntzenhusianis grandæuis : si aliter dixerint, ego mendax fuero : si idem referent, quod ego, tum tu calumniator fueris. Quàm verum autem est illud tuum de parentis cognomine : tam etiam verum est illud, quod de torque aureo ab ipso gestari solito scribis : vtrunque confictum est à tui similibus vanis hominibus. Annulum, quò literas obsignare solebat, in digito gessit : aureum torque nec habuit, nec gessit : tu autem Sturmi, nugæ congeris : itaque non Orator es, sed nugigerulus : cui ego rectè dicere possum : O os, ô frons : si modò aut tibi, aut tuis socijs est frons vlla.

Debebas mihi, Sturmi, gratulari, si vir bonus & pius esses : quòd errorem parentis mei (de essentiali iustitia) non defendo, sed improbo & damno : quem errorem tu ipse damnas : sed hoc tu mihi vitio vertis, quod in me commendare oportebat. Neque tamen etiam hoc sine calumnia & mendacio facere potes : adèò te Spiritus calumniator agit. Scribis enim : *Tanti tu patris tui religionem facis : vt etiam mortuum patrem condemnes hereseos : quem viuum D. Iacobus Andreas & Brentius, vt multis videbatur, conati sunt aliquo modo defendere.* Respondeo, Sturmi : D. Brentius & D. Iacobus Andree semper hoc in parente meo reprehenderunt, quòd scripsisset, nos sola essentiali Dei iustitia coram Deo iustificari : sed ex alijs eius dictis iudicarunt, ipsum commodius sentire, quàm loqueretur. Ego ex animo doleo, quòd eam propositionem defenderit meus parens : quæ falsa est, nec defendi debuit. Sed ipsius personam non condemno, nec viuam nec mortuam : quia spero, eum in agone errorem agnouisse, & remissionem peccatorum suorum à Deo impetrasse.

petrasse. Diu enim in agone fuit: & complicatis manibus (ut orantes facere solent) tranquilla morte ex hac vita excessit: tametsi aliquot horas nihil est locutus: cuius causam apoplexiam fuisse existimo. Vides, Sturmi, aliud esse **ERROREM** damnare, & aliud, damnare **PERSONAM**.

Accusas etiam me, Sturmi, quod in me nulla scintilla vere *charitatis emicet, sed tantum in me calumnia, fastus, & crudelitas conspiciantur.* Et mentiris, quod pro concionibus Gallos, Belgas, Anglos & Scotos, de quibus supplicium sumptum est, Martyres Diaboli appellem. Vocas me palponem & adulatorem aulicum. Sanè, Sturmi, si crudelitas est & calumnia, Lupos in gregem Domini grassantes inclamare: non potero me aduersus te Rhetorem, defendere. Sin verò fidelis hoc officium pastoris est, ego laudem inueniam: Sturmius verò nomen Sycophantæ reportabit. Qui mores meos norunt, neque inhumanitatem, neque crudelitatem, mihi tribuent. Qui meas audiunt conciones, nulla se vnquam conuicia in Martyres Christi audiuisse dicent: & publica mea scripta testantur, quod eos, qui in die Bartholomæi in Gallia trucidati sunt, martyres sanctos appellauerim. Testabuntur etiam mei auditores, me ad eò non esse palponem & adulatorem aulicum, ut quibusdam forte nimis in dicendo liber esse videar. Quare istum, Sturmi, palpum, quem mihi falso tribuis, tibi serua, eumque pontificijs tuis hominibus, quorum eruditionem & virtutes, vsque ad sydera tollere consueuisti, obtrude. Recognosce tuas Epistolas, tuasque præfationes dedicatorias, & si quæ sunt alia huius farinae: & verum me dicere, fateberis.

Si hæcenus vera de te scripsi: si te ex tuis scriptis cognoscendum bonis & intelligentibus viris præbui: in tuum, non meum caput, tua recident conuicia: cum de me sic scribis: *Virulenta lingua, malitiose calumniator, (cogor enim nunc esse acerbior in tutando Reipublicæ nostræ honore:)* non vides te

per meum latus etiam Senatuum nostrum confodere : & urbem atque civitatem nostram perpetuae infamiae exponere ? scribis enim, nunquam in hac nostra urbe puram doctrinam fuisse, nisi hoc tempore.

Adulator, Criminator, Sycophanta. Auditur, Sturmi: SI VIR BONVS ES, RECITA VERBA MEA: MONSTRALIBRVM, PAGINAM, LINEAM. SI EGO HOC DIXI AVT SCRIPSI, POENAS DABO: SIN TV ISTA DE ME CONFINXISTI: TV VIR VLENSTVS CALVMNIATOR ESTO. Etsi enim illam Confessionem, quae à quatuor Ciuitatibus Anno 30. exhibita est, non probo: tamen tu splendide mentiris, cum affirmas, me in Rempublicam, & Ecclesiam Argentinensem contumeliosum fuisse. Scribis enim: Me & D. Pappum vo-

Pag. 43. *care confessionem illam caseum veterem, & caseum ollarem. De me verò dicis: Si Hosiandrum (rogetis) respondebit, Argentorati nullam doctrinam puram vnquam fuisse, nisi HOC tempore:*

Pag. 100, 116. *& non solum quatuor Ciuitatum Confessionem, hoc est, nostram Augustanam Confessionem: sed etiam OMNES MAIORES NOSTROS, PASTORES, ET SENATORIOS VIROS, OMNES CIVES DAM-*

Pag. 53. *NABIT HAERESIOS. Dicis, Sturmi: Confessionem Argenteratensem à NULLO, NISI AB HOSIANDRO calumnijs petitam. Dico, Sturmi, candidè & apertè,*

Confessionem illam mihi non placere, propterea quòd ambigua & lubrica sit: at quòd vniuersos pastores, omnes Senatores, omnes ciues Argentinenses, qui eo tempore vixerunt, haeresios condemnem: hoc tu è tuo cerebro confinxisti. Et nisi meis verbis me conuiceris, ego tibi illud TVVM OCCINAM. Dum istud non probabit (Sturmius:) dum me hoc

Pag. 79. *crimine non liberabit: dum viuet, improbus Sycophanta, infamis calumniator sit, fuerit, futurus sit, oportet. En tuote, Sturmi, gladio iugulo. Num posthac etiam scribes, me non legisse tuos*

tuos Antipappos: Quare Sturmi, tuam illam cruentam calum- Pag. 142.
 niam, quam mihi imputas, & tuos illos lethales sibilos, & tuam vir-
 rulentam linguam, adulationem, criminationem, & Sycos-
 phanticas tuas artes, tibi committo: à quibus ego tam sum alie-
 nus, quantum tu à viro bono distas. Eam enim, qua in te re-
 darguendo vtor, vehementiam, tua improbitas, impudentia,
 vanitas, virulentia, impietas, calumniæ & blasphemix mihi
 vel inuito extorquent. Et cum candidè & apertissimè meam
 sententiam de te & tuo impio dogmate scribam, Hypocritam
 cur me appelles, non video: te verò hypocrisi iam diu laborasse
 se, qui Cinglianismum tuum tot annos occultaris, res ipsa tes-
 tatur. Si quid inhonesti in meis moribus proferre potes, non
 repugno, quin in lucem proferas. Sed quia nullius me sceles-
 ris accusare, saltem verisimiliter, potes, HYPOCRITAM
 VOCAS. Hæc est illa tua CHRISTIANA CHARITAS: qua
 vos ipsos (Cingliani) commendare toti orbi soletis: cum vos
 bis nihil sit virulentius.

Sed, age, interponamus rebus tam serijs aliquid minus
 acerbum. D. Pappum & me, vocas *impueres duos Doctores* Pag. 110. 136.
Theologos: & adolescentes Theologos nos appellas. Equidem cre-
 do, D. Pappum aliquot annis (non multis tamen) me natu-
 minorem. At ego iam viginti quinque annos & amplius,
 Euangelion Christi publicè doceo: & quidem cum audito-
 rum meorum approbatione. Quòd autem canos non mul-
 tos habeo, est quod Deo gratias pro valetudine commoda &
 tarda senectæ agam: & tranquillitas conscientix meæ inter
 multos certè magnosque labores (vt ego quidem credo) ius-
 ventam meam conseruat. Curas enim meas in Dominum
 Deum, patrem meum cœlestem (vt ille mihi per Aposto- 1. Pet. 5.
 lum Petrum præcepit) reijcio: hoc ago, vt vocationi meæ,
 quantum quidem per carnis huius infirmitatem fieri potest,
 satisfaciam, Et ex animo possum recitare illud Davidis: Ego Psalm. 3.
 dormis

dormiui, & soporatus sum, & exurrexi: quia Dominus suscepit me. Miror autem, cur tibi non in mentem venerit Pauli dictum, cum de Timotheo scribit: Nemo adolescentiam tuam contemnat. Tu consenuisti, Sturmī, in Cicerone: ego, Domino volente, in sacris literis consenescam: quas puer diligenter legi, lego, & legam, dum spiritus hos regit artus.

Pag. 61. At (inquires) tu Oliander indoctus es: *Quomodo enim (ais) consistere in Oecumenico aut nationali Concilio Evangelici ordines possent, si non alios Theologos habeant, quos ad publicos conuentus mittant, quàm Pappos & Hosiandros istos?* Itaque paulò post

Pag. 62. D. Pappum & me *Arcadicas animantes, hoc est, asinos vocas*

Pag. 206. *stupidos.* Et ne nihil dicere videâre, obiicis mihi, falso tamen:

Pag. 216. *quòd NULLVM PATRVM LEGERIM: & adis: Ego certè te legisse Patres non puto.* Et post aliqua me his

verbis compellas: *Et te Epiphanium legisse ostentas: si tamen verum est, quòd legeris.* Sanè, Sturmī, nolim eò redactam esse Ecclesiam Christi, vt doctiores Theologos ad Concilium Oecumenicum aut Nationale mittere non possent, quàm ego sum. Sed tamen non poenitet me meorum laborum, quos in discendo iam per annos quadraginta pertuli. Et Deo Optimo Maximo gratias ago, quòd ea in me dona contulerit, quæ spero ipsius Ecclesiæ salutaria esse & utilia. De eruditione non glorior, neque cum quoquam certabo: hic enim non est vsus donorum Dei legitimus. Sed tamen tuam tuicq̃ similiū superbiam miror: qua omnes alios eruditos viros contemnitis: nisi Cingliano dogmati faueant. Contrà verò, vestræ farinæ homines tantum non Deos facitis: si eò vsque in Schola vestræ impietatis profecerint, vt possint contendere:

IN COENA DOMINI ESSE PANEM ET VINVM, NON AVTEM CORPVS ET SANGVINEM CHRISTI: CHRISTVM PROCVL A TERRIS SVMMO COELO CAPI: CHRI-

CHRISTVM ESSE NEC OMNIPOTENTEM, NEC OMNIPRÆSENTEM, NEC OMNISCIENTEM, secundum suam humanam naturam. Si præterea possint afferre illud Augustini male intellectum & deprauatum: Crede & manducasti: & illud: Iudam comedisse panem Domini, non panem Dominum. Hos homines extollitis, atque doctissimos esse prædicatis: præsertim cum tres aut quatuor phrasas Latinas à vobis didicerint. At ego existimo, Theologum in sua professione doctum atque eruditum habendum esse, qui ea didicerit, quæ ad ipsius professionem requiruntur: etiamsi nec Aristotelem nec Platonem euoluerit. Cum autem, Sturmi, credas, me non modo Epiphanium, quem citavi, non legisse: sed etiam N V L L V M Patrum legisse: veni Stutgardiam, & monstrabo tibi in margine meas annotationes, quas in scriptis Patrum mea manu consignavi, ante annos quindecim & amplius: & eodem modo re ipsa tua mendacia refutabo: vt olim Diogenes ambulando ineptas illius Philosophi rationes refutabat, qui disputabat, N V L L V M ESSE MOTVM. Mihi discenda fuit lingua Latina, Græca, Hebræa, Chaldaea, propter sacrarum literarum dexteriores explicationem: addendæ fuere aliæ artes liberales: Tu Latinæ & Græcæ linguæ totum te tradidisti, & cæteris dicendi artibus. Quare si paulo elegantius Latinè scribis, quàm ego: mirum id nemini videri debet. Aliud est autem eleganter Latinè scribere: & aliud, vera & salutaria scribere: quorum hoc meum est, alterum tuum.

Quanquam, Sturmi, si quis tuos Antipappos rigidius ad præceptiones Rhetoricas examinaret, profectò male stares. Nosti enim, ad Oratoris officium pertinere, Inventionem, Dispositionem, Elocutionem, Memoriam, & pronuntiationem, seu actionem. Inuentio autem est, rerum VERAS

RVM.

RVM aut verisimilium excogitatio. Tu verò, Rhetor Sturmī, excogitas, neque vera, neque verisimilia: sed putidissima mendacia: quæ dudum editis publicis scriptis confutari possint. Itaque ut aliàs Orator dicitur esse vir bonus, dicendi peritus: ita de te dici rectè possit: quòd sis vir malus, mentiendi studiosus. Dispositionem verò adeò nullam in tuis Antipap̄is prioribus & posterioribus obseruas, ut merum & confusum verborum chaos proponas, vel potius eructes: & nunc idem dicas in principio, postea in medio, rursus in fine: & nunc posteriora prioribus præponas: nunc inepto saltu ad rem aliam transilias: neque quid, quo ordine, aut quo loco dicas, animaduertis. Iam, quod ad Elocutionem attinet, dispeream, si omnes viri eruditi tuam dictionem, & orationis compositionem per omnia probare possint: video enim te studiosè quasdam phrasas Ciceronianas affectare, quæ à politioribus auribus hoc nostro seculo respuantur. Cum olim Quintilianum legerem, animaduerti, quid ille de periodis formandis præciperet: bone Deus, quàm tu nihil ferè eorum obseruas! Sed vela contraham, ne denuò meum sermonem, *barbaram, & Therfiticam loquacitatem, & Polyphemicam saltationem appelles*. Tuus enim crepitus (ut est in prouerbio) tibi bene olet.

Pag. 206.

Pag. 136.

Inter cætera scommata, Sturmī, hoc tibi in primis haud dubiè bene oluit, cum me *CUM ANVM MUSICVM* vocares: hoc est, asinum rudentem, quem Cumani pro Leone, priusquam rectè nouissent, habuisse dicuntur. De eruditione suprà paucis dictum est. Ego verò iam in Ducatu Vvirtembergico Ministrum Ecclesiæ ago annos viginti quinque & amplius: cum antea priuatus in eodem Ducatu vixissem totum ferè triennium: & spero, me tanto temporis spacio bonis viris ita innotuisse, ut me ament: non autem contemnant. Sed video, quid tibi inter cætera displiceat, *MVSICAE*, videlicet, studium atque exercitium: quod etiam Tofsanus

Sanus oblique in me reprehendit. Ego vero, Sturm, mihi gratulor, de hoc dono Dei: quo saepe ingenium meum laboribus fatigatum atque defessum mirifice recreo: ut mihi quasi renatus, & prorsus novas vires acquisuisse videar. Scio autem multis Cinglianis Musicam ita esse exosam, ut etiam Organica, musica Instrumenta, quae in templorum parietibus sunt affixa, furioso zelo deturbent: & Musicae exercitia in cultu diuino tantum non pro scelere habeant. Neque miror id, Sturm. Cum enim Spiritus vester non possit facile perferre Musicam: recessit enim à Saule, cum citharam David pulsaret: mirum videri nemini debet, si vos etiam Musicam odio persecuti fueritis. Odit enim Spiritus ille suauem harmoniam, & dulcissimum concentum atque consensum in Ecclesia, Scholis, Republica, atque Oeconomia. Et quia Sathan saluberrimam illam, & Deo gratissimam harmoniam docentium in Ecclesiis atque Scholis, praecipue odit: ideo Cinglianos nos doctores, tuos fratres, excitauit, ut, tanquam asini rudentes, suauissimam illam piorum Ministrorum harmoniam turbarent. Idem ille malus Genius te, Musicum Cumanum, ruderare iussit in celebri Academia Argentoratensi, Odam certe non Pindaricam: (ea enim neminem offenderet:) sed Cinglianam: ut ille concentus, qui fuit ibi inter docentes, impediretur & conturbaretur. Nosti autem, Sturm, quid fieri soleat, si quis in Musica, ut vocant, figurata, prauè canendo dissonantiam efficiat: iubetur, ut vitium emendet: aut, ut prorsus taceat. Si inter chordas aliqua harmoniam turbet: aut intenditur, aut remittitur aliquantulum, ut cum cæteris consonet: si emendari non potest: (aiunt enim chordas ex intestinis luporum factas, cum ouillis nunquam concordare:) tum illae lupinae chordae (quales sunt tuae commentationes Theologicae) remouentur. Si fistula aut tibia in organo harmoniae suauitatem corrumpat: aut emendatur, si fieri potest, aut re-

N

moue



mouetur, & alia in eius locum reponitur. Quare, Sturmi, cum tu & Ecclesiarum & Scholarum harmoniam perturbas summo studio nitaris: ego tibi dico, Musicus Musico, hoc est, Musicus Theologicus, qui syncerae doctrinae harmoniam intelligit & amat, Musico Cumano: hoc est, asino in Ecclesia Dei viui, & in Schola rudenti: E M E N D A vocem: aut T A C E: ni feceris, Dominus Deus tibi inuito silentium imponet. Et de te pronunciabitur illud Apostolicum, quod Paulus de blasphemis hominibus, Hymenaeo & Alexandro pronunciauit: T R A D I D I (inquit) E O S S A T H A N A E, V T D I S C A N T N O N B L A S P H E M A R E.

1. Tim. 1.

Pag. 48, 52, 62.

94. 150.

Pag. 153.

177.

183.

Matth. 5.

Colligam nunc in fasciculum reliquos tuos illos suauissimos flosculos, quibus EX M E R A scilicet, & A B V N D A N T I C I N G L I A N A C H A R I T A T E D. Pappum & me exornare conaris: quos partim ad vtrumque, partim ad me solum spectare, voluisti. Appellas enim nos, *Vespas, crabrones, bestias, Miluios, duos Neoptolemos, Rabulas, aquilas terrestres, Miluios aquilas, scurras.* Me vocas *nasutulum & spurcoridiculum nasonem, simiam, bestiolum vultum humanum mentientem, pyr gopolinicen.* Hisce, Sturmi, conuicijs me ita perturbasti, vt ex animo deriserim tuas illas ineptias, quibus tibi mirifice places. Et relinquo iudicium omnibus bonis & intelligentibus viris, qui M E & T E familiariter nouerunt: vtrum ista tua epitheta rectius in M E, an vero in T E quaderent. Interim audio Christum mihi dicentem: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint O M N E M A L V M aduersus vos, M E N T I S E N T E S, propter me: gaudete & exultate: quoniam M E R C E S V E S T R A C O P I O S A E S T I N C O E L I S.

Pollicitus autem sum tibi, Sturmi, quod picturam tuam,
Deo

ANTISTURMIUS ALTER.

99

Deo iurante, absoluerè velim. Promissum enim cadit in de-
bitum. Et antiquitas credidit, Lucam Euangelistam etiam
pictorem fuisse. In primo meo Antisturmio carbone (vt fie-
ri solet) primas duxeram lineas: nunc colores veros è tuo An-
tipappo quarto prolatos, addam: & manifestum fiet, te esse
mirabile MONSTRUM ex diuersis septem sectis compos-
situm: videlicet, ex Cingliano, Synergista, Schuuenckfel-
diano, Papista, Nestoriano, Philosophastro, & Epicuræo. Id-
que demonstrabo, non vt tibi agrè faciam: sed vt iuuentu-
tem moneam, vt posthac ab hoc Monstro sibi adolescentes
caueant: neque diutius, cum admiratione, te suspiciant: ne &
ipsi in Monstra conuertantur: aut certè in lapides (quasi qui
Medusæ caput intuentur) mutantur. De Lycanthropis enim
Peucerus (de diuinationibus) sic scribit: In collegium *λυκαν* fol. 131.
θεώπων pertrahi dicuntur, qui cum his versantur crebrò &
compotant. Infici enim consuetudine horum & compota-
tionibus creduntur. Hac ille. Quare liberalia ingenia ab
eiusmodi Monstri, quale tu es, conuersatione meritò cauere
sibi debent. CINGLIANVM si ego te esse negarem,
haud dubiè tu ipse esses affirmaturus. Etsi enim super no-
mine CINGLIANO STOMACHARIS: tamen
dogma Cinglianum in tuis Antipappis strenuè defendere
conaris: & iam dudum te Cingliani in suum gregem recep-
ere, vt licet corpore absens, Spiritu tamen tuo Calvinistico
semper illis sis præsens. Itaque in Cinglianorum aduersariis
os vehementissimè & acerbissimè inueheris: & Cinglianus
tuus crudelis & sanguinarius Spiritus aurículas, per leonis
nam, arrigit: vbi nos, qui de corpore Christi aliter quàm tu,
docemus, PRO IMPERII HOSTIBVS habendos,
atque AD POENAM TRAHENDOS CEN- Pag. 90.
SES. Vereor tamen, ne vnum in te desiderent Cingliani.
Quid hoc est, inquires: dicam. Tu non tam cautus es, quàm
cates

N 2

cates



Pag. 112. cæteri scriptores Cingliani: nimum enim crassè Cinglianis-
 mum proponis: cum affirmas, quòd *Christus Sacramentum cœnæ*
 Pag. 117. *sui corporis INSTAR esse voluerit.* Deinde ais: quòd *CHRIS-*
TVS PASCEBATVR SVO SACRAMEN-
 Pag. 119. *TO.* Et post aliqua: *Hunc panem, inquis, corpus suum Christus*
DICI, & pro corpore suo HABERI, & ESSE VOLV-
IT: seipso licet CORPORALITER ABSENTE in
cælesti throno. Roga, Sturmi, tuos fratres Neapolitanos, vt te
 ex istis tuis laqueis, quos tibi circumdediti, expediant atque
 euoluant.

Pag. 90. **SYNERGISMVS** in te, Sturmi, emicat: cum eos
 etiam hostes Imperij censendos putas, qui purè de libero arbi-
 trio contra quosdam Theologos Vvittebergenses docebant.
 Et alio loco commendas Philippum hoc nomine, quòd cert-
 tamen inter Lutherum & Erasmus de **LIBERO ARBI-**
TRIO diremerit. In qua autem sententia Philippus fuerit,
 ex ipsius posterioribus locis communibus (in quibus vo-
 luntatem hominis inter causas conuersionis ponit:) non est
 obscurum. Quare te non iniuria **SYNERGISTAM** dixe-
 ro.

Pag. 167. **SCHVVENCKFELDIANISMVM** etiam quando-
 que, Sturmi, eructas. Quòd enim Ministerium verbi (quod
 Argentinae purum habes) contemnis: ita vt viginti annos
 neque conciones audieris sacras, neque ad cœnam Domini
 accesseris: hoc est Schuuenckfeldianorum proprium. Miror
 autem, quare me hac in parte adeò impudenter mandacij ar-
 guere ausus fueris: cum negare non possis, quòd tot annis
N V L L A S audieris conciones. Neque te rectè excusas,
 Pag. 165. 166. quòd conquereris: *acerbas haberi conciones: eas te pati ac perfer-*
 167. 168. *re non posse: interim verò non prohibuisse te vnquam, ne vxores tuae,*
famuli, famulae, & conuictores audirent sacras conciones. Ego enim
 non quæsiui: **C V R** non audires Conciones: sed, **A N** au-
 dires?

diēs? Neque quæsitum fuit: an tuæ coniuges, famuli, famulæ, & conuictores concionibus interfint? sed AN TV inter fueris? Hoc autem Schuuenckfeldianis vsitatum est, vt de religione suorum domesticorum parum solliciti, ipsi suas imaginationes, & internas reuelationes sequantur. Itaque etiam quidam Schuuenckfeldiani, etsi Papatum improbant, tamen filios suos Canonicos faciunt: propter pingues illas, vt vocant, Præbendas: & in hac parte Schuuenckfeldianismi, latet etiam Epicurismus: de quo paulo post suo loco dicetur. Sed & hoc in tuo posteriore Antipappo Schuuenckfeldianismū olet, quòd dictum Pauli (Litera occidit: Spiritus viuificat:) Pag. 129. sic interpretaris, vt litera tibi significet, literalem (vt vocant) sensum; Spiritus verò, spiritualementem intelligentiam. Cum tamen eo loco Literam Paulus vocet, Legem: Spiritum verò, Euangelium. Est & illud Schuuenckfeldianum: quòd phras Pag. 130. sis Paulina (CARNALIA SAPERE) tibi significet, & quæstio p. vrgere: cum Paulo, carnalia sapere, sit, ea curare, quæ carni sunt grata & accepta. Quare in tua leonina, Sturmī, video etiam Schuuenckfeldianismum latere.

PAPISTAM te esse, EX PARTE, Sturmī, ostendam. Clamabis hīc: ô cœlum, ô terra, ô maria Neptuni: ô frons, ô os: sed attende paululum, & mitior forte fies. Quid Pag. 11. sibi volunt istę tuæ Catecheses, non scriptæ, sed in aures Christianorum insusurratæ? quæ demum veram Christi & mysteriorum eius cognitionem absoluant? de quibus suprâ tractatum est. Nonne hoc fundamento (si tamen arena dicenda est fundamentum) hodie tota pontificia Religio nititur? nonne, quoties fictitios suos cultus diuinos verbo Dei defendere nequeunt, ad traditiones Apostolicas non scriptas confugiunt? Quare, Sturmī, cum tu fenestram Pontificiis aperias, vt suis traditionibus, non scriptis, Ecclesiam Dei exagitent, iure te IN HAC parte dixerim PAPISTAM.

Pag. 119.

Pag. 217.

NESTORIANVM te esse, Sturmi, ea de causa dico: quia diuellis (quantum quidem in te est) duas in Christo naturas: quas tamen ne mors quidem ipsa diuellere poterit. Humanitatem .n. Christi ita in throno cœlesti collocas, vt eandem in terra (vbi est filius Dei) præsentem neges. Habes itaque alium Christum in terris, qui non habet secum assumptam humanitatem: & alium in cœlis, qui ibidem est Deus & homo in vna persona. Negas, omnipotentiam, omnipræsentiam & omniscientiam, humanæ in Christo naturæ communicari. Quare cum Nestorio diuidis Christi personam: & concedis Christum filium Dei, omnipotentem, omniscientem, & omnipræsentem: & fingis alium Christum, Filium hominis, Multipotentem, Multiscientem, & non nisi vno loco præsentem. Quare rectè inter NESTORIANOS te numerauero.

Pag. 179.

Coloss. 2.

PHILOSOPHASTRVM te esse, Sturmi, demonstrabo, non Philosophum. Philosophastrum autem voco, qui Philosophus quidem haberi velit, nec tamen sit. Contendis, Sturmi, fieri non posse, vt vnum verum corpus sit simul in diuersis locis. Hoc habes ex Philosophia Aristotelica: deinde applicas hoc Principium & Axioma Philosophicum ad negotium Theologicum cœnæ Dominicæ, & Maiestatis Christi. Hoc est, Sturmi, PRINCIPIA DISCIPLINARVM ET SCIENTIARVM CONFVNDERE: id quod VERI & verè ERVDITI Philosophi non faciunt. Sciunt enim, quòd Principiorum confusio perpetuos pariat PARALOGISMOS. Itaque dico te ne Philosophum quidem esse: si propriè de Philosopho loqui velimus. Et hanc ipsam ob causam Paulus monet nos, caueamus, NE PER PHILOSOPHIAM DECIPIAMVR: non quòd Philosophia per se sit mala: sed quòd non sit cum Theologia et mysterijs Religionis Christianæ miscenda. Suo enim

enim loco, si quis ea recte utatur, multiplicem in rebus humanis usum habet. Quare frustra in laudem Philosophiae Pag. 184. declamitas, ubi de rebus Theologicis agitur. Et insulfuses, cum in nos debaccharis, quod rationis humanae iudicium in mysterijs Religionis nostrae rejiciamus: cum dicis: *Ratio- Pag. 184.* ne uteris, cum vis: *rationem vituperas, cum tibi placet: & cum tibi placitum est, homines vis ut OBBRUTESCANT.* Quid aliud est, tyrannidem exercere, si istud non est? prohibere, ut ne ratione utamur, cum tibi respondere molestum sit. Valde autem ridiculus es, Sturmi, cum rationem *HUMANAM Pag. 212.* (quam in mysterijs fidei caecam esse dicimus) & rationem *CONCLUSIONIS* in syllogismo, pro vna & eadem re habes: cum saepe ratio conclusionis possit esse expressum Dei verbum, quod cum ratione humana pugnat. Quae haec est tua, Sturmi, ignorantia? quod medium terminum syllogismi (qui in vnaquaque argumentatione necessario requiritur:) & rationem humanam, quam Paulus iubet nos captivam ducere, vnam & eandem rem esse putas? Hoccine est Dialecticum esse? Hoccine est Philosophum esse? Minimè verò. Quare, Sturmi, noli mihi succensere, si post hac te, non Philosophum, sed *PHILOSOPHASTRUM* & quidem Philosophastrum paruulum dixerò. Et sanè, Sturmi, nisi maturè manum de tabula sustuleris, confirmare tibi aulam, quod tandem vix *GRAMMATICI* nomen sis retenturus.

EPICURÆVS es, Sturmi. Hoc Dii mei Homerici (inquies) auertant: ego ne sim Epicurus? qui tanto zelo Religionem Cinglianam defendo, ut omnes Christi Ecclesias offendere, quam Cinglianismum non propugnare, malim. Siste gradum, Sturmi, non sic elaberis. Quid tibi videtur? qualem hominem censes esse eum, qui in Religionis negocio confessionem subscribit: & quidem non coactus

ctus: à qua ipse dissentit, aliudq; in pectore fouet. At tu hoc fecisti, Sturmi: & quidem non modò id non negas: verum de pulcherrimo, scilicet, isto facinore etiam gloriaris. Cum enim ego tectè notassem in meo primo Antisturmio Zanzchum, quòd non candidè cuidam Formulæ consensionis Argentinæ subscripsisset, sed ijs verbis esset vsus: VT piam esse iudico, ITA subscribo: tu id hominis minimè candidi factum & probas & defendis, inquires: *Non sine causa subscripsit: ET ITA SVBSCRIBENDVM EST: propterea quòd in Ecclesia Christiana nimium possunt calumnia. Et ego TAMETSI SIMPLICITER SVBSCRIPSERIM: tamen ita subscripsi: vt eam subscriptionem VELIM ORTHODOXE INTELLIGI.* Quid audio? non satis clara fuerunt illius Formulæ verba: Hoc agitis, vos Cingliani, vt Magistratus vestros fallatis: subscribitis, quæ vobis non placent: & reseruatis vobis orthodoxam, scilicet, hoc est, Cinglianam vestram sententiam. HOC EST DEVM ET HOMINES IRRIDERE. Sic Arius impium dogma suum, quod literis consignatum apud se gestabat absconditum, retinebat: & interim coram Imperatore Constantino iurabat, se non aliud sentire, quàm quod scriptura doceret: suam autem scripturam, non sacram, intelligebat. Qua de re audiamus scriptorem Ecclesiasticum, Sozomenum: eius verba sunt hæc: Etenim & Arius HAERESIS IARCHA Eusebii consors, studio eorum, qui tum cum Eusebio erant, à beato Constantino Augusto vocatus, & fidem suam SCRIPTO edicere iussus, impudenter IMPIETATIS SVAE DICTIONES subdolis ABSCONDIT: & per HYPOCRISIN (attende Sturmi) cum Diabolus esset, SIMPLICIA, & vt scripta sunt, SCRIPTVRARVM VERBA posuit. Deinde cum Beatus Constantinus dixisset: Si nihil aliud præter ista in mente habes, DA testis

Pag. 170.

Sozom. hist. Eccl. lib. 2. cap. 30.

testimonium veritatis: Etenim ipse Dominus vlciscetur, si
 PEIERAVERIS: IVRAVIT infoelix, alia se præter ea, QVAM
 IAM SCRIPSISSET, nec habere, nec sentire, nec vnquam à
 se dicta esse. Hactenus Sozomenus. Quantum autem hoc fa-
 ctum Arii distat ab eo, quod tu Sturmi, & Zanchus, Confes-
 sionem subscripsistis, quam neuter vestrum probavit? Si quis
 in politico negotio transactionem subscriberet, atque apud se
 aliam sententiam, quàm quæ ex verbis rectè intellectis elici
 posset, occultaret: postea verò eam proferret, & nouasturbas
 daret: quid, Sturmi, de tali homine viri boni essent iudicaturi?
 Perinde igitur in Religionis controuersijs agere soletis, ac si
 de Asini umbra litigaretur. Quid? quòd Ubiquitatem, hoc
 est, Christi præsentiam secundum humanitatem, tu Sturmi,
 petulanter exagitas, & sexcentis maledictis obruis: postea in
 eodẽ libro tuo nihilominus scribis: *Sic etiã, quòd* SECUNDVM Pag. 215.
VTRANQVE NATVRAM CONIUNCTAM
ET CONIUNCTE CONSIDERA-
TAM, omnia (Christus) quæ velit, efficere possit: omnia viderit,
atque nouerit: OMNIBVSQVE LOCIS PRÆ-
SENS SIT SVIS: denique omnia gubernet PRÆ-
SENS IN COELO ET IN TERRA, QVIS NE-
GAT? (Quis non iuraret, Sturmium subito Ubiquitarium
 factum: sed LVDIT LUCIANVS in re maximè seria: id nunc
 manifestum erit:) *At illa (inquis) negamus, Christus super omnes*
cælos ascendit, vt Paulus ait: ergo corpus Christi vbique est. Quid
 ais Sturmi? an corpus Christi non ad humanam Christi natu-
 ram pertinet? quam paulò antè dixisti cum diuina natura con-
 iunctam, & coniunctè consideratam, præsentem esse in cœlo
 & in terra? Sed quid agas cum istis præstigiatoribus: qui cum
 religione Christiana, vt pueri cum nucibus, ludunt? Accu- Pag. 216.
 sas nos, Sturmi, quòd Cinglianos FRATRES NOMINARE
 NOLIMVS. Quid hoc rei est? Volunt ne isti homines fratres
 nostri esse & haberi? Et tu, Sturmi, cupis ne pro fratre à nos
 O bis

Pag 101. bis Lutheranis (vt vocatis) Theologis haberi? Quid ni (in-
 quis) volumus, Audi igitur, Sturmi, qualia nobis crimina in
 religionis negotio impingas: & tamen nihilominus NOSTER
 FRATER esse velis. Dicis, in Formula Concordiae, quam am-
 plectimur, OMNIA ESSE MARCIONIS & VALENTINI,
 & ARII & EUTYCHIS & NESTORII, & SABELLI
 FALSA & IMMANIA DOGMATA. Ergo, Sturmi, cum
 Formulam illam non modo approbemus, verum etiam de-
 fendamus, an non TV nos censesse (mentiris autem) Mar-
 cionitas, Valentinianos, Arianos, Eutythianos, Nesto-
 rianos & Sabellianos? Et tamen eam ob causam stomachas-
 ris, quod te tuosque Cinglianos in fraternitatem nostram reci-
 pere nolimus. At si in te esset vna religiosi sanguinis guttula,
 si vna mica sani cerebri: num tu eorum fraternitatem affe-
 ctandam censes, quos tot & tam horrendis haeresibus con-
 taminatos existimares? HIC EST EPICVRISMVS, Sturmi:
 qui hodie in multorum cordibus regnat, & hoc agit, vt quis-
 que in Religione sentiat quod velit. Tu'ne, Sturmi, eorum
 frater esse velles, quos tu pro Marcionitis, Valentinianis,
 Arianis, Eutythianis, Nestorianis, & Sabellianis habes: NISI
 EPICVRAEVS ESSES? Sin vero tibi tua conscientia dicat,
 quod nos INNOCENTES, & ab his horrendis haeresibus
 ALIENI SIMVS: & tamen pro Cinglianismo tuo propagan-
 do, & ad opprimendam sanam nostram doctrinam istas HAE-
 RESES abominandas (reluctante tua conscientia) nobis im-
 pingis: rursus es EPICVRAEVS: qui Deum nec metuis, nec
 purioris doctrinae, nec Ecclesiae Dei, rationem habes.

Vide nunc, Sturmi, quale sis MONSTRVM, videlicet,
 tale, cuiusmodi Virgilius describit, cum de Polyphemo canit:
 Monstrum horrendum, informe, ingens, CUI LV MEN
 ADEMP TVM. Cogita iam, an tu D. Pappum & me recte
 Pag. 37. duobus calumniatoribus, Anyto & Melito (qui Socratem
 perdis.

perdiderunt) comparaueris : & an tu Socrati sis comparandus : & , an frustra solliciti fuerimus , ne iuuentutem tibi commissam , seduceres , atque falsa doctrina inficeres ? Quis enim tali præceptorî liberos suos posthac informandos rectè committat : nisi qui velit , vt ex omnibus ferè sectis , & erroribus religionis , aliquid in tenera illa ætate imbiberent ? Quare, Sturmi , istis tuis fanaticis scriptionibus honori Scholæ Argentinensis pessimè consules.

Multa adhuc Sturmi haberem , quæ de tua in rebus Theologicis IGNORANTIA & stoliditate scribere possem : sed nunc portare ea non potes : & ego iam octiduum totum in hoc responso meo insumpsi : quod sanè maluissem explanationi Euangelistarum , quam in manibus habeo , impendere. Itaque hæc à tuo Catechumeno Osiandro nunc æqui bonique consule : qui , vbi sub tua disciplina ex Catechesibus tuis alio quantò plus profecerit , fortasse posthac dabit , quæ sint magis elaborata : vt intelligas , te discipulum & Catechumenum non indocilem esse nactum. Sed vt res serias seriò concludam , dico tibi :

SI TV STURMI, NON RESIPVERIS, ET VES

NIAM BLASPHEMIARVM TVARVM A

DEO PETIERIS, MALE

PERIBIS.

1552 73

AB 155273


ULB Halle

002 378 728

.3







L V C A E O S I =
A N D R I , T H E O .
L O G I Æ D O .
C T O R I S ,

Antisturmius
alter.

PROVERB. XXVI.
Responde stulto iuxta stultitiam suam: ne sibi sapiens
esse videatur.



T V B I N G Æ ,
Excudebat Georgius Gruppenbachius.
M. D. LXXXI.

3

